DE CATULLI PERIODIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

REGIÆ ACADEMIÆ GEORGIÆ AUGUSTÆ

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ÆMILIUS CLEMENS,
GUELFERBYTANUS.

GUELFERBYTI.
TYPIS J. ZWISSLERI.
MDCCCLXXXV.

Catullus Veronensis inde ex eo tempore, quo antiquitatis studium renovatum et instauratum est, iterum atque iterum a philologis laudatus est tantopere, ut exspectare debeas huius poetae scripta ab omni parte summa diligentia et amore maximo esse tractata. Pauca ut quae diximus demonstremus afferre liceat, ex quibus quanti nonnulli recentiores carmina Catulli aestimaverint satis eluceat. Theodorus Mommsen in quinto historiae Romanae libro scripsit: „Die lateinische Nation hat keinen zweiten Dichter hervorgebracht, in dem der künstlerische Gehalt und die künstlerische Form in so gleichmäßiger Vollendung wieder erscheinen wie bei Catullus; und in diesem Sinne ist Catullus' Gedichtsammlung allerdings das Vollkommenste, was die lateinische Poesie überhaupt aufzuweisen vermag." Idem fere censet Ernestus de Leutsch, qui in Nunt. erud. Gotting. 1855 no. 197 pag. 1962 exponit, cur Catullum „omnium poetarum Latinorum optimum" appellaverit, et Niebuhrius (Vorträge über alte Geschichte ed. Isler III, 127) dicit: „Der größte Dichter aber, den Rom gehabt, ist Catullus." Haec sufficiant, nam nostrum non est explicare, quibus rebus sit factum, ut Catullus tantis laudibus efferatur, praesertim hac de re accuratissime iam egerint Paldamus in libro qui inscribitur Römische Erotik pag. 33 sq. et T. Kroon in quaestionibus Catullianis pag. 40 sqq., qui multorum aliorum composuit iudicia his simillima. Ac negari non potest permagnum philologorum numerum in interpretandis et explicandis Catulli carminibus summam consumpsisse operam. De formis linguae Catullianae — omittimus eos qui Catulli carmina ediderunt et illustraverunt — accuratius egerunt Fridericus Heussner (observationes grammaticae in Catulli Veronensis librum, Marburgi 1869), Conradus Hupe (de genere dicendi C. Valerii Catulli Veronensis, Monasterii 1871) Adolphus Reeck (de Catullianorum carminum re grammatica et metrica, Vratislaviae 1872), Franciscus Teuffel (de Catulli Tibulli Propertii vocibus singularibus, Friburgi Brisigav. 1872), de syn-

tacticis quoque rebus nonnullis disseruit Gustavus Overholthaus (syntaxis Catullianae capita duo, Papenburgi 1875) ac permulta habemus in annotationibus editionum et in quaestionibus criticis metricisque, quarum copia maior est quam quae hoc loco enumerari possint. Sed qui Catulli stilum (utimur hac voce, quamquam a latinis scriptoribus aetatis aureae quae dicitur sic usurpata non est*), ut commoda et nunc usitatissima) exploraverit eiusque dicendi genus cum aliorum scriptorum usu ac ratione comparaverit adhuc in lucem non prodiit atque in commentariis, quibus Catulli carmina instruxerunt et illustraverunt homines docti, his de rebus fere nihil invenitur. Nos suscepimus disserere qua periodorum conformatione Catullus usus sit. Perdifficilem esse hanc quaestionem non ignoramus; de hac enim grammaticae parte, cum magis quam ceterae inculta iaceat et derelicta sive Catullus respicitur sive alius scriptor latinus, fere nihil usque ad nostram aetatem scriptum est, ad quod dissertationem nostram dirigere et disponere possimus. Ii autem libri qui sunt de lingua latina leges grammaticas quidem ac syntacticas exhibent, fere nihil tamen proferunt de periodorum conformatione nulla alia de causa ut opinamur, quam quod grammatici his de rebus inter se omnino non consentiunt vel quod omnia quae huc pertinent dubia sunt et incerta. Permagnam igitur invenimus dissensionem de vocis „periodi“ vi ac notione, quare priusquam ad Cutulli proprietates exponendas aggrediamur necesse esse videtur in universum explicare quid sit periodus.

Quid sit periodus.

Cum quis quid sit periodus accuratius definire vult, ei ante omnia quae veteres et Graeci et Latini hac de re dixerint videndum est. Hanc viam Wesenerus, cum in anni 1860 programmate Fuldensi de periodorum Livianarum proprietatibus ageret, merito atque optimo iure secutus est. Hac in quaestione non paucos veterum scriptorum locos invenimus, ex quibus quo modo illi vocem periodi intellexerint cognoscere possumus. Ex magna Graecorum copia sufficere mihi videtur unum hoc loco afferre scriptorem cui maxima est habenda fides, quoniam ceteri omnes ita cum hoc consentiunt, ut eum secuti videantur, Aristotelem dico, qui in rhetor. III, 9 haec csripsit: *λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ*

*) cf. Ernesti, lexicon technologiae Latinorum rhetoricae, Lips. 1777 pag. 372 sq.

τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. „Haec definitio latissime patens eam videtur vim habere, ut quantuslibet verborum ambitus ad intelligendum facilis, in quo sententia aliqua et initium capessat et ad finem perveniat, i. e. quo contineatur integra, periodi nomine sit nuncupandus“ *). Deinde Romanorum sententias spectantes duorum tantum, qui hac de re quae censerent dixerunt, verba afferre possumus, Ciceronis et Quintiliani. Quos in hac re aliisque similibus Graecos secutos esse etiamsi Quintilianus ipse (inst. orat. IX, 4, 79) non diceret: „Et quidem Ciceronem sequar, nam is eminentissimos Graecorum est secutus“, tamen perfacile esset cognitu (quod Wesenerus l. l. recte animadvertit) ex eis vocabulis, quibus uterque illud Graecorum περίοδος in linguam latinam convertit. Quintilianus (inst. orat. IX, 4, 124) dicit: „Periodo plurima nomina dat Cicero, ‚ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem‘.“ Huc accedunt haec: „circuitus conglutinatioque verborum, orbis verborum“, sed videmus fere ubique Ciceronem addidisse aliquid, quo haec nomina quasi excusaret ut „si sic appelari placet“ vel „si ita licet dicere“ vel „quasi“. Cicero enim qua erat religione et pietate unam quamque vocem adventiciam submovere et usitato vocabulo mutare studuit et cum rem significaturus, quae antea nondum in litteris nominata erat neque dum nomen vulgatum habebat, vel verbum latinum par graeco quaerens coactus est aut novam vocem facere aut nomine aliquo notionem inusitatam significare, hoc vel simili modo excusationem addidit. Quam ut mirabilem nominum varietatem exponeret A. Hagemannus in Programmatis Gymnas. Spandow. 1863 quod inscribitur ἱστορικαὶ περίοδοι pag. 18 omnes vel Ciceronis vel Quintiliani locos huc spectantes accuratissime collegit, quare eos hoc loco iterum enumerare supervacaneum est. De hac autem nominum varietate hactenus. Videamus iam quo modo Romani vim ac notionem periodi certis finibus circumscripserint, quod facile non est effectu, quoniam neque Quintilianus neque Cicero neque alius quis hoc dilucide exposuit**). Comparandi igitur sunt inter se omnes horum loci, in quibus haec res commemoratur, ut ex his omnibus quid illi de vocis periodi vi cogitaverint cognoscatur. Quod si fecerimus intelligemus Romanos variis illis nominibus significasse idem ac Graecos

*) Cf. Augustus Lange, de compositione periodorum, imprimis Platonicarum, pars I, pag. 4. Progr. Gymn. Vratisl. 1849.

**) Cf. Heinichen, Lehrbuch der Theorie des lateinischen Stils 1842, pag. 226, § 92, Anm. 1. — Hand, Lehrbuch des lateinischen Stils 1833, pag. 391.

voce *περίοδος*, quam Aristotelem optime explicasse demonstravimus. Periodus igitur ex Romanorum quoque sententia talis complurium enuntiatorum connexio est, quae apta forma, concinnitate, compositione numerosum efficiat orbem.

Quod si tenemus vix probabimus, quod a nostrorum temporum hominibus doctis hac brevi et simplici explicatione neglecta permultae leges sunt constitutae, quas veterum scriptorum nullus commemoraverit. Primus eorum, qui vim ac notionem vocis periodi excutere et perspicua definitione circumscribere studuerunt, Schellerus fuit; nonnullos enim alios, quorum libros, quia neque in bibliothecis repperi neque alio quo modo acquirere potui, praetermittere cogor, ut Zippel, periodologia sive doctrina de periodorum structura, Ratisb. 1714, Sturm, de periodis liber, Jenae 1727, Vetter, periodologia, Lubec. 1744. — Schellerus in libro de „praeceptis styli bene latini“ Lips. 1795 ed. III pag. 149 sq. haec habet: „Periodus dicitur ac dici debet, quando enuntiatio aliqua, quae hoc respectu primaria dici possit, per interiectam aliam (interdum plures) .... dissecatur .... Periodus .... proprie notat circuitum; quia, qui vocabula enuntiationis per illam interiectionem disiecta colligere vult, non recta progredi potest, sed circum illam interiectam enuntiationem ire cogitur“. At mala et vitiosa haec periodi interpretatio nobis esse videtur et valde errasse Schellerum censemus, nam veteres ipsi satis dilucide docuerunt hanc vocem sic non esse intelligendam; nusquam enim legimus legem qua praecipiatur, ut ad periodum efficiendam alteri enuntiato alterum inseratur, quod sine dubio illi, quos supra nominavimus, verbis perspicuis dixissent, si hoc modo hanc vocem intelligi voluissent. Nimia fuit, ut nobis quidem videtur, haec Schelleri morositas in enodanda et enucleanda huius vocis significatione, quam accuratius et subtilius Graecis ipsis explicare voluit, ac videmus necesse esse rem ipsam, non verbum solum sequi neque quicquam confici, si verba sola attendimus et aucupamur. Quis enim est quin sciat saepe ineptum esse voces, quae apud grammaticos in usu vel fuerunt vel sunt, hoc modo definiri? Permulta in libris grammaticis usque ad hoc tempus remanserunt nomina et diuturno usu quasi sacrosancta sunt, quamquam ad accurate significandas eas res, quae his nominibus appellantur, non satis sunt apta*). Valde igitur erravit Schellerus cum omnibus iis, qui putabant ad periodi vim et notionem penitus cognoscendam sufficere nonnullas

*) Cf. Joannes Classen, de grammaticae Graecae primordiis 1829, pagg. 45, 58, 69 al.

de forma, de longitudine, de partium collocatione statuisse leges, rem autem ipsam et veram rei naturam leviter attigerunt vel prorsus non tractaverunt. Summo igitur iure Dissenius hanc rationem vehementer vituperat in egregia illa dissertatione de structura periodorum oratoria, qua perspicue docuit ante omnia in interiorem sententiarum structuram descendendum esse et momenta, pondera membrorum accurate observanda. Ad quantas ineptias adduci possit qui illam Schelleri rationem sequitur uno exemplo demonstrare mihi liceat. In Catulli carm. LXI v. 199 sqq. legimus:

At, marite (ita me iuvent
Caelites) nihilo minus
Pulcher es.

Haec verba, si Schelleri explicatio vera est, periodum efficiunt, nam enuntiatum alterum „ita me iuvent Caelites" interiectum est alteri, qua re ut modo vidimus periodus fit ex Schelleri sententia. At ipse si interrogari posset, non dubitaret hoc negare. Videmus igitur periodi proprium non esse enuntiatum alterum alteri inseri, quare reiicienda est illa definitio Schelleri. Tamen mirum in modum non pauci homines docti, qui inde ex eo tempore periodorum confirmationem attigerunt in libris grammaticis, hanc Schelleri explicationem secuti sunt.*) Cur hi philologi viam quam veteres sunt ingressi deseruerint intelligere non possumus, nam nullus eorum causas exposuit, quibus motus hoc modo vim periodi definiverit. Dicet fortasse quispiam eo, quod nostra vernacula lingua arctioribus legibus contineatur his omnibus in rebus, esse factum, ut maiore diligentia etiam latina grammatica ex eo tempore sit tractata, quo clarissimi illi Adelung, Heyse, Grimm, Becker alii studio linguae germanicae ita se imbuerunt, ut novam plane artis grammaticae rationem instituerent. At leges alterius linguae ad alteram transferri non licet, nam diversissimus est usus variarum linguarum, quam differentiam et varietatem imprimis in periodorum conformatione elucere nemo negabit periodis nostrae linguae cum linguae latinae periodis comparatis. Itaque probare non possumus, quod permulti qui de grammatica latina scripserunt eas leges de compositione enuntiatorum, quibus nostra vernacula lingua adstringitur, in linguam latinam transposuerunt observandas. Sic Madvigius clarissimus

*) Ernesti, init. rhetor. § 367. — Matthiae, Entwurf einer Theorie des lateinischen Stils 1826 pag. 16. — Grysar, Theorie des lateinischen Stils 1831 pag. 620. — Berger, Lateinische Stilistik 1870 pag. 192.

atque doctissimus in libro qui inscribitur Lateinische Sprachlehre für Schulen, Braunschweig 1874 pag. 285 dicit haec: „Ein Hauptsatz mit seinem Nebensatz (oder seinen Nebensätzen) bildet einen zusammengesetzten Satz, welcher, ebenso wie ein alleinstehender Hauptsatz, einen abgeschlossenen Sinn hat, bei welchem die Rede abbrechen kann." Nonne haec ex germanicis grammaticis sumpta esse videntur? Cur permulta alia nomina, quae in his reperiuntur et certa quadam differentia inter se distant, ut „umkleideter Satz, erweiterter Satz, mehrfacher Satz" cet. in grammaticam latinam non transtulit? Quod si illud facere licuit, cur hoc non licuit? — Paulo autem post exponit, quomodo hoc „enuntiatum compositum" fiat periodus; legimus enim pag. 393: „Wenn die Theile eines zusammengesetzten Satzes so gestellt sind, daß man nicht die Rede unterbrechen und dennoch eine richtige und vollständige grammatikalische Form erhalten kann, bevor man das letzte Glied ausgesprochen hat, so wird es eine Periode (periodus) genannt. Eine Periode entsteht also dadurch, daß man den Nebensatz dem Hauptsatze voranstellt oder daß man in den Hauptsatz selbst einen oder mehrere Nebensätze einschaltet, welche Bestimmungen an demselben enthalten; und diese letzte Form (wo der Hauptsatz durch Zwischensätze unterbrochen wird) heißt oft vorzugsweise Periode (Periode im engeren Verstande)." Madvigii igitur a Schelleri interpretatione ita recessit, ut non solum insertum enuntiatum, sed etiam enuntiatum secundarium primario antecedens periodum efficiat. Eodem modo alii grammatici hanc rem exposuerunt ut Augustus Haacke, Lateinische Stillehre etc. 1875 Berlin pag. 331. Primus eorum grammaticorum qui hoc modo periodum definiverunt Zumptius fuit, qui in grammatica latina (pag. 647 ed. X) plura hac de re disseruit. Hunc sine dubio etiam Ferdinandus Schultz (Lateinische Sprachlehre zunächst für Gymnasien 1874 pag. 575) secutus est. Quae autem causa sit, cur periodus non efficiatur, cum enuntiatum secundarium sequitur primarium, hi omnes non explicaverunt. Unus Fridericus Adolphus Heinichen (Lehrbuch der Theorie des lateinischen Stils 1842 pag. 228 sq.) hoc exponere conatus est his verbis: „Aus der obigen Definition der Periode folgt auch, daß selbst nicht jeder .... Nebensatz in Verbindung mit einem Hauptsatze eine lateinische Periode im engern, strengern Sinne des Wortes bilde, sondern daß zugleich die Nebensätze entweder als Vordersätze dem Hauptsatze vorangehn oder als Zwischensätze mit dem Hauptsatze oder wenigstens mit einem andern Nebensatz eng verknüpft werden müssen, wenn eine Periode entstehen soll. Denn außerdem erscheinen die Sätze auch nicht selbst vermittelst der äußern Form als innig zusammengehörend, an- und ineinandergefügt und zu einem abgeschlossenen, organi-

schen Ganzen geordnet, sondern vielmehr als bloß aneinander hängend und loser aneinander gereiht."

Sed huius legis neque apud veteres ulla fit mentio neque ea usui communi ut nunc est consentanea est, quare non video, cur nos eam statuamus. Melius est, ut equidem puto, eodem modo ac veteres periodum definire, quod permulti alii fecerunt. Sic Ferdinandus Hand (Lehrbuch des lateinischen Stils 1833 pag. 392) exposuit Ciceronem nusquam notionem periodi accuratius definivisse, sed singula huius rei momenta explicasse, hominesque doctos nostrae aetatis in eo consentire, quod periodus non efficitur, nisi enuntiatum primarium interruptum esset secundariis, quam legem veteres nondum statuissent; sed nullum recentioris temporis grammaticum accurate et dilucide exposuisse quid esset proprium periodi. „Das Prinzip aller Periodologie" inquit „macht der für die Einheit der Anschauung wirksame organische Zusammenhang der Darstellung aus, oder die ästhetische Einheit. Periode nemlich ist, gleich der Composition der Gruppen im Gemälde, die für den Zweck klarer Anschauung verbundene Menge von Satzgliedern, zu einem abgeschlossenen Ganzen geordnet, in welchem die Einheit eines harmonischen Mannigfaltigen zum Ausdruck des Schönen dient, und daher unmittelbar durch sich, d. i. durch die Form gefällt. Daher beruht der Zweck der Periode nicht in Zerspaltung oder in Einschaltung einzelner Theile an sich, sondern vielmehr in der anschaulichen und nach dem Gesetz der Proportion angewendeten Vertheilung der Gruppen zu einem organischen Ganzen, in welchem Alles sich wechselseitig bedingt." Quam definitionem cum accuratius examinamus, videmus eandem esse atque Aristotelis neque quicquam additum vel derelictum esse, quare non intelligimus, cur aliae leges statuantur, praesertim cum ex Ciceronis et Quintiliani verbis, ut supra commemoravimus, satis dilucide cognoscamus hos quoque illam Aristotelis sententiam probasse.

Eodem anno quo Handii liber in lucem prodiit, Ioannes Augustus Lehmann librum de periodorum structura edidit (Allgemeiner Mechanismus des Periodenbaues nebst einem Versuche, an ihn eine Kritik der deutschen Periode anzuknüpfen. Danzig 1833.), quo summa diligentia et industria hac de re egit; quem si legimus, perfacile intelligimus hunc periodologiae, ut ita dicam, leges multo melius quam omnes qui antea in hac re erant versati explicasse et constituisse. Summo igitur iure Naegelsbachius (Lateinische Stilistik für Deutsche § 114 pag. 281 ed. I) hunc laudat. Ego quoque cum Naegelsbachio consentio et fere omnibus in rebus ea, quae a Lehmanno sunt exposita, probanda esse puto. Una tantum res est,

in qua ille modum non servavit, quo factum est, ut hac in re illius sententia non valuerit. Legimus enim pag. 44: „Die Periode ist ein Satz oder eine Verbindung von Sätzen, welcher oder welche ein für sich allein bestehendes Ganze ausmacht.“ Putat igitur ad perficiendam periodum sufficere unum tantum enuntiatum, quod accuratius pag. 45 hoc modo demonstrare conatus est: „Daß aber nicht erst eine Verbindung von Sätzen, sondern auch schon ein einzelner Satz (Hauptsatz), der ebenso gut wie eine Satzverbindung für sich ein Ganzes bildet, eine Periode genannt werde, scheint mir der Bestimmtheit und Klarheit halber durchaus nothwendig zu sein. Wir dürfen uns nicht mehr an die ursprüngliche Bedeutung des Wortes halten, und so steht es an und für sich einem Jeden frei, unter Periode das zu verstehen, was er, ohne zu weit von der ursprünglichen Bedeutung abzugehen, keiner unbestimmten Deutung unterworfen sieht und für das Anwendbarste bei einer Lehre über diesen Gegenstand hält. Wenn die Satzverbindung: „Gieb mir das Buch, welches du mir gestern versprochen hast, wenn du es durchgelesen haben wirst, wieder zurück“ ein Ganzes bildet und also eine Periode heißt; warum soll dieser Eine Satz: „Gieb mir das gestern von dir versprochene Buch nach Durchlesung wieder zurück“ nicht ebenso gut eine Periode heißen?“ Et sine dubio hoc probandum est, si solam rationem sequimur logicam, ut ita dicam, vel dialecticen, quam appellant. Atque uberius fusiusque docuit aeque ac solum verbum finitum ad enuntiatum efficiendum sufficiat, sic periodum quoque ex solo enuntiato primario constare posse. Non tamen ignorat omnes perscrutatores et investigatores antiquarum litterarum arbitratos esse periodum non effici, nisi complura enuntiata coniungerentur. Lehmannus necessarium esse putavit illud vocabulum periodi sic interpretari, ut ex hac definitione facillime possent tractari et inter se comparari omnia periodorum genera.*) Accommodavit igitur definitionem suam ad propositum consilium periodologiam scribendi, usum autem communem prorsus neglexit. Quem si respicimus, Lehmanni sententiam veram non esse cognoscimus, nusquam enim in grammaticis libris omnium temporum unum enuntiatum nomine periodi significatur, sed sola connexio complurium enuntiatorum. Atque Quintilianus quoque (inst. orat. IX, 4, 124) haec dicit: „Genera enim duo sunt: alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur; alterum, quod constat membris et incisis, quae plures sensus habent ..... Habet periodus membra minimum duo.“ Itaque Lehmanni sententiam, quamvis

*) Cf. Götzinger, Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik 1835 Bd. XIII pag. 399.

ex cogitatione subtili et accuratissima legum logicarum scientia orta et quamvis simplicissima et aptissima ad varia periodorum genera inquirenda sit, probare non possumus. Haec Lehmanni periodi definitio non valuit, quamquam in ceteris omnibus rebus quas explicavit permulti grammatici iique clarissimi eandem viam sunt ingressi, sic recta via se progressuros esse rati, ut Weißenborn, Syntax der lateinischen Sprache, Eisenach 1835 pag. 420, Reisig, Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, herausgegeben mit Anmerkungen von Fr. Haase, Leipzig 1839 pag. 828. Naegelsbachius quoque, quamquam vocem periodi certis verbis non definivit, quae Lehmannus exposuit probavit. In una illa re, de qua modo diximus, hi omnes illum secuti non sunt, sed statuerunt periodum non effici nisi connexione enuntiatorum complurium, unum enuntiatum non esse periodum. Fridericus Guilelmus Engelhardt, (de periodorum Platonicarum structura P. I pag. 3, progr. Gymn. Gedanensis 1853) haec eadem existimans sic scribit: „Periodum vocant veteres, ut notum est, structuram membrorum orationis, quae sententiam certa circumscriptione definiat atque determinet. Patet inde vel unum simplex enuntiatum periodum vocari passe; quumque enuntiati una tantum pars necessaria sit, verbum finitum, uno verbo finito periodum effici posse diceres, si aut prima nominis significatio aut veterum usus id permitteret; qui non solent brevia eiusmodi enuntiata periodos vocare, et ubi de periodorum formis loquuntur, non de hac simplicissima cogitant, sed de plurium enuntiatorum compositione, in qua variorum dicendi generum discrimen positum est.*)

Haec sunt quae homines docti de vi ac notione vocis periodi censuerunt. Iam restat ut, priusquam statuamus eam definitionem, quae nobis optima esse videtur, ut ex ea in quaestionibus quae sequuntur proficiscamur, respiciamus ad usum communem et videamus, quo modo ex omnium usu cotidiano haec vox intelligatur. Quod si fit, sine dubio certum esse videtur periodum sic intelligi, ut sit connexio complurium enuntiatorum. Unum igitur enuntiatum periodus non est, sed minimum duo copulanda sunt, ut fiat periodus. Duae autem sunt rationes enuntiata inter se iungendi: quarum altera enuntiata, quae inter se sunt paria et eandem habent vim, componit per parataxin vel

*) Cf. G. W. Goßrau, Lateinische Sprachlehre, Quedlinburg 1869 § 509 pag. 606. — Reinhold Klotz, Handbuch der lateinischen Stilistik, Leipzig 1874 pag. 281 sqq. — H. Menge, Repetitorium der lateinischen Grammatik und Stilistik, Wolfenbüttel 1878 pag. 190 sq.

coordinationem, altera enuntiata, quae vel maiorem vel minorem habent vim, sic connectit, per hypotaxin vel subordinationem, ut enuntiata minoris momenti pendeant ex enuntiatis maioris momenti et ex iis sint apta. Hae duae et hypotactica et paratactica quas vocant inter se sunt discernendae. Plerique autem philologi vocem periodi sic usurpare solent, ut significet connexionem variorum inter se enuntiatorum, quae per hypotaxin, non per parataxin copulantur. Cum paratactica ratione enuntiata inter se paria coniunguntur, ex horum omnium sententia non efficitur periodus. Hanc explicationem, quia paullulum tantum a veterum definitione differt et cum multorum hominum doctissimorum tum omnium usui communi consentit, nobis omnes quae exstiterunt definitiones periodi inter se comparantibus statuendam esse visum est, praesertim cum ad has quaestiones absolvendas commoda et apta sit. Haec igitur igitur sunt tenenda:

Periodus nullo modo constare potest ex uno enuntiato primario neque connexio complurium enuntiatorum primariorum nullis adiectis secundariis periodus est.

Periodus est connexio unius vel complurium enuntiatorum primariorum cum uno vel compluribus enuntiatis secundariis.

Iam postquam quid sit periodus statuimus, expositurі sumus, quatenus Catullus periodorum conformatione usus sit. Deinde nobis explicandum erit, quatenus Catullus periodos evitaverit parataxis usu, tum quatenus participiorum usu hoc fecerit. Postremo pauca de asyndeti usu Catulliano addemus.

Quatenus Catullus periodorum conformatione usus sit.

Ut homines a pueris usque ad summam senectutem non iisdem animi ac mentis facultatibus sunt praediti, sed donec pueri sunt, ingenium nondum excultum et tardum habent, deinde in dies maiorem sagacitatem et sapientiam sibi acquirunt, postremo cum senes fiunt, iterum ad puerilem illam simplicitatem redeunt: sic nationes quoque fere omnes per longum tempus ad maiorem cultum et humanitatem progrediuntur, deinde per aliquod temporis spatium maxime florent ac postremo hac aetate peracta collabuntur et dilabuntur. Arctissime cum hoc temporum ordine cohaerent varia illa dicendi genera, quae apud omnes fere nationes invenimus.

Itaque linguam latinam, cum quatenus ad hunc ordinem apta sit perscrutamur, non solum in formis grammaticis et legibus grammaticis atque syntacticis, sed etiam in periodorum conformatione illis aetatibus accuratissime respondere cognoscimus. Antiquissimis enim temporibus Romani ita et loqui et scribere solebant, ut quae exprimere vellent brevibus enuntiatis, quorum aliud ad aliud apponebatur, dicerent. Posteaquam tamen cognitum est non eandem vim inesse omnibus enuntiatis, sed hoc vel illud cogitatum maioris esse momenti quam alia, consuetudo dicendi ita emendata est, ut ad cogitandi rationem sit accomodatior hoc quidem modo, ut id enuntiatum, quod inserviat alii vel explicando vel praeparando, huic subiungatur et ex eo pendeat. Hac de re Lahmeyer (de apodotico, qui dicitur, particulae *δέ* in carminibus Homericis usu, Lipsiae 1879 pag. 26) egit, apud quem legimus: „Antiquissimis temporibus omnes sententiae, cum aequi inter se iuris essent, particulis copulativis inter se coniungebantur. Sed paulatim, cum vis alterius sententiae minueretur, factum est, ut discerneretur inter sententiam primariam et secundariam. Haec vero, ut minus valebat, non paratacticis particulis adiungebatur, sed illi subiungebatur.“ *) Deinde haec ars orationem ad dialectices leges dirigendi in dies crescebat aeque ac litterae et artes ingenuae apud Romanos magis magisque excolebantur, quo factum est, ut aureae quam vocant aetatis scriptores etiam in conformandi periodos arte valde excellerent et omnium quidem maxime, quod satis constat, M. Tullius Cicero. Inde ab eo tempore redierunt ad simplicitatem scribendi, quod ex argenteae aetatis scriptorum libris ut Taciti cognoscimus, qui elegantiam elocutionis et dictionis in eo posuerunt, quod reiectis periodis artificiose compositis enuntiata, quorum alterum alteri subiiciendum erat, seorsim ponerent et sua quidque vi acuerent.**)

Sic etiam apud nos clarissimi illi scriptores superioris saeculi ut Goethius, Lessingius et praeter ceteros Wielandius summa arte elegantissimas periodos conformaverunt, nostris autem temporibus hoc vel neglegitur vel consilio ac ratione evitatur.

*) Cf. etiam K. F. Hermannus, de protasi paratactica, ind. schol. Gotting. 1850 pag. 1. — Paetzolt, Beiträge zur historischen Syntax der lateinischen Sprache, Waldenburg, Gymn.-Progr. 1875 pag. X. — Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache, II pag. 213. — W. Weissenborn de Füistingii, commentatione de natura accusativi cum infinitivo apud Latinos in Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1842 pag. 962.

**) Cf. Philippus Spitta, de Taciti in componendis enuntiatis ratione. Gotting. 1866, P. I pag. 1.

Iam priusquam ad Catulli periodos tractandos transeamus, nonnulla nobis liceat praemittere.

Duo sunt genera enuntiatorum, de quibus iam supra paucis diximus. Aut enim enuntiatum per se positum est, ut a nullo alio pendeat, et tum id continet, quod maxima vi dicendum est (den Hauptgedanken), aut alii enuntiato ita adiunctum, ut sine illo intelligi non possit, cui introducendo, praemuniendo, praeparando, explicando inservit. Prioris generis enuntiata primaria (Hauptsätze) vocantur, cetera omnia secundaria (Nebensätze).*)

Haec enuntiata secundaria, quae pendent ex enuntiato primario, enuntiata secundaria primi ordinis nominari solent et secernenda sunt ab iis enuntiatis, quae ab enuntiato secundario primi ordinis reguntur et hac de causa enuntiata secundaria secundi ordinis vocantur, ex quibus iterum enuntiata secundaria tertii ordinis, atque ex his enuntiata secundaria quarti ordinis, ex quibus denique quinti ordinis pendent. Hoc tenendum est, nam saepissime in iis quae sequuntur his nominibus a plerisque philologis acceptis et comprobatis nobis utendum erit, ut variam periodorum compositionem et enuntiatorum connexionem certis nominibus significemus. Quae quanta sit varietas periodorum Lehmannus in illo libro, qui est de „periodorum mechanismo“ accuratissime docuit. Ob hanc permagnam varietatem singulis litteris significavit enuntiata singula et has litteras ita composuit, ut primo aspectu quam dilucidissime cognosci possit, quo modo unaquaeque periodus sit composita. Nonnulli homines docti, ex quibus nomino Engelhardtium, Augustum Lange, eum imitati alio, sed simili modo hanc enuntiatorum complexionem significaverunt. Kühnastius in libro qui inscribitur „Die Hauptpunkte der livianischen Syntax“ aliam viam proposuit, sed minus perspicuam. Naegelsbachius ille clarissimus Lehmanni rationem accepit et nos quoque hanc omnium esse aptissimam et maxime perspicuam putantes hac in commentatione Lehmannum secuti sumus. Liceat igitur hanc rationem paucis exponere. Significavimus enuntiata primaria litteris maiusculis quas vocant A, B, C cet., enuntiata secundaria primi ordinis litteris minusculis a, b, c cet., secundi ordinis litteris graecis α, β, γ cet., ad tertii autem generis enuntiata secun-

*) Cf. Engelhardt, de periodorum Platonicarum structura, P. I pag. 3 in Progr. Gymn. Gedanensis 1853; P. II pag. 1 sq. in Progr. Gymn. Gedanensis 1864. — Augustus Lange, de compositione periodorum, imprimis Platonicarum, pag. 5 in Progr. Vratisl. 1849. — Isidorus Täuber, de enuntiationibus ac periodis et latinis et germanicis. Viennae 1839 pag. 3.

daria denotanda litterae vernaculae maiores 𝔄, 𝔅, ℭ cet. usurpatae sunt, quas vernaculae litterae minores 𝔞, 𝔟, 𝔠 cet. ad enuntiata secundaria quarti ordinis indicanda sequuntur; quinti denique ordinis enuntiata secundaria denotavimus numeris arabicis quas vocant 1, 2, 3 cet. Enuntiata primaria ordine ad libellam aequato conscripsimus iisque interposuimus semicolon quod dicitur, enuntiata secundaria inter se divisa sunt signo illo, quod nos comma vocamus, et alterum suum habet locum sub altero ex quo pendet, et hoc quoque denotavimus, si enuntiatum superioris ordinis antecedit, hoc modo $\frac{A}{a}$; significat igitur hoc schema A; $\frac{B}{a}$ periodum, quae ex duobus enuntiatis primariis, quorum alteri subiungitur enuntiatum secundarium, constat. Enuntiatum alterum alteri, cui subiungitur, antecedere ita ut ex insequenti enuntiato pendeat, indicavimus puncto duplici, quod colon vocant a:A. Postremo enuntiatum alterum quod insertum est alteri et ab alterius partibus cingitur, uncis includimus curvatis (—), angulatis [—] tamen ea enuntiata, quae extra constructionem grammaticam interposita sunt per parenthesin. Haec schemata sunt quasi imagines periodorum utilissimae et aptissimae ad celeriter atque dilucide perspiciendam periodorum conformationem et structuram, quia non modo numerum et locos enuntiatorum ante oculos ponunt primo aspectu, sed etiam uniuscuiusque enuntiati ordinem indicant et accuratissime docent, quo modo singula enuntiata inter se cohaereant; sic totam periodorum formam bene declarant et exponunt, quare non dubitavimus eodem modo ac Lehmannus haec schemata ascribere.

Iam transeamus ad Catullum nostrum et videamus, quatenus periodorum conformatione usus sit.

Simplicissima periodus ea est, quae uno enuntiato primario et uno enuntiato secundario constat; huius simplicissimae periodi quattuor sunt genera*); aut priorem locum obtinet enuntiatum primarium, secundarium sequitur, aut hoc antepositum est, sequitur primarium, aut secundarium insertum est primario, cuius partibus circumcluditur, aut primarium includitur partibus secundarii, cui insertum est.

Primum igitur nobis colligendi sunt ex Catulli carminibus ii loci**), ubi periodi exstant, quae ex uno enuntiato primario et

*) Cf. Lehmann, Mechanismus ꝛc. pag. 60 sqq. — Nägelsbach, Stilistik, ed. II pag. 417 sqq.

**) Exempla ex Lachmannianae editionis ordine attulimus, quia fere ubique Lachmannum secuti sumus, sive varias lectiones respicis sive carminum collocationem.

uno enuntiato secundario ita sunt conformatae, ut secundario antecedat primarium hoc schemate $\frac{\text{A}}{\text{a}}$. Haec sunt exempla:

3, 11—12: Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.

6, 13—14; 7, 1—2; 8, 14; 10, 21—23; 10, 32; 10, 33—34; 13, 9—10; 13, 11—12; 14, 6—7; 14, 13—15; 17, 8—11; 27, 1—4; 29, 11—14; 30, 5—6; 31, 11; 40, 5: An [scil. cupis] ut pervenias in ora vulgi?*) 40, 7—8; 42, 7—9; 42, 13—14; 44, 16—17; 46, 9—11; 50, 1—3; 55, 6—8; 61, 77—78; 61, 86—90; 61, 171—173; 61, 206—210; 61, 226—230; 62, 14; 62, 34—35; 62, 64—65; 63, 56—57; 63, 62; 64, 1—7; 64, 47—79; 64, 112—115; 64, 137—138; 64, 178—179; 64, 180—181; 64, 182—183; 64, 238—240; 64, 292—293; 64, 294—297; 64, 320—322; 64, 338—341; 64, 362—364; 64, 390—393; 66, 33—35; 66, 47; 66, 65—68; 67, 29—30; 67, 47—48; 68, 40; 68, 77—78; 68, 87—92; 68, 101—104; 68, 117—118; 68, 129—130; 68, 131—134; 68, 153—154; 69, 5—6; 70, 1—2; 77, 7—8; 79, 3—4; 87, 1—3; 87, 3—4; 88, 3; 88, 4; 96^b, 5—8; 99, 11—14; 104, 1—2; 107, 3—4; 114, 1—3; 114, 6; 115, 3—6.

Secundum huius periodi simplicissimae genus hanc enuntiatorum collocationem exhibet, ut enuntiatum secundarium antecedat primario, ex quo pendet. Haec forma in Catulli carminibus minus est frequens aeque atque apud Platonem**) et apud Thucydidem***). Huius generis, cui significando hoc schema a:A inservit, exempla collegimus haec:

9, 10—11: O quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusve?

14, 1—3; 42, 7; 42, 16—17; 63, 74—77; 64, 267—268; 85, 1; 97, 3—4; 99, 15—16; 107, 1—2.

Tertium huius simplicissimae periodi genus sic est compositum, ut enuntiatum primarium interruptum sit secundario, periodus enuntiato primario et introducatur et concludatur, secundarium autem enuntiatum inseratur primario A(a)A. Huc spectant haec exempla:

6, 15—16: Quare, quicquid habes boni malique,
Dic nobis.

10, 1—4; 15, 13; 16, 12—13; 23, 12—14; 31, 1—6; 35, 13—15; 38, 4—5;

---

*) De hac quaestionis forma cf. Dräger, histor. Gramm. § 158^{B} pag. 348 sq. vol. I.

**) Cf. Engelhardt, de periodorum Platonicarum structura, P. I pag. 7.

***) Cf. Lange, de periodorum Thucydidiarum structura, in Progr. Gymn. Vratisl. anni 1863 pag. 8.

39, 1—2; 39, 7—8; 44, 10—12; 63, 35—36; 64, 16—18*); 64, 43—44 64, 124—131; 64, 212—214; 64, 246—248; 64, 323—326; 64, 353—355; 64, 387—389; 66, 77—78**); 67, 19—20; 68, 63—66; 91, 7—8; 98, 3—4; 99, 1—2; 100, 3—4.

Iam restat ut quartum huius simplicissimae periodi genus, cuius supra attigimus structuram, paucis tractemus. Tale igitur est, ut enuntiatum primarium inseratur secundario et huius partibus includatur. Mirum hoc videri fortasse potest iis, qui vernaculam nostram comparant linguam, quia ab hac omnino aliena est haec enuntiatorum collocatio et summo quidem iure, si rationem respicimus logicam, quam vocant, quacum consentire non potest, quod enuntiatum alterum, quod regitur, includit alterum, a quo regitur; attamen apud veteres scriptores imprimis Graecos huius generis exempla inveniuntur non pauca***). Apud Catullum autem hanc collocationem fere nusquam invenimus neque exempla afferre possumus Catulliana, quibus hoc genus hoc schemata a(A)a illustrandum explicemus, nisi hoc unum:

92, 2: Lesbia me dispeream nisi amat.

Ex hac exemplorum paucitate fortasse quispiam opinabitur Catullum consilio ac ratione evitasse hoc periodorum genus, praesertim cum paulo post in scriptis Ciceronis****) aliorumque saepissime inveniatur. Sed veri similius nobis esse videtur Catullum non usum esse hoc genere, quia illo tempore omnino non usitatum erat et Catullus ut saepius sic hac quoque in re simplicitatem prioris temporis servavit.

Iam veniamus ad eas periodos, in quibus enuntiato primario subiunguntur complura enuntiata secundaria, quae tamen ex ipso enuntiato primario pendent, ut sint inter se coordinata, subordinata autem primario, unde pendent. In his quoque periodis varia est collocatio enuntiatorum: aut antecedere potest primarium aut postponi aut includere secundaria aut includi secundariis. Atque ut eundem ac supra ordinem servemus, primo loco collegimus

---

*) „Illa, si qua alia, viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus exstantes e gurgite cano."
ex Lachmanni annotatione legi velim.

**) Cum Ellisio scribendum esse putamus
„Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, una milia multa bibi."

***) Lehmann, Mechanismus ꝛc. pag. 60 sqq. — Nägelsbach, Stilistik ed. II pag. 417 sqq.

****) Nägelsbach, l. l.

periodos eas, in quibus enuntiatum primarium antecedit secundariis hoc schemate A. En habes exempla:
a, b, c...

1, 8—10: Quare habe tibi quicquid hoc libelli,
Qualecunque, quod ō patrona virgo
Plus uno maneat perenne saeclo.

8, 6—7; 21, 12—13; 29, 6—8; 31, 7—10; 42, 1—2; 44, 13—15; 62, 20—23; 63, 71—72; 64, 164—166; 64, 343—346 (ubi scribendum esse putamus: „Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine campi", quamquam illud „campi" firmatum non est nisi quod in codicis L margine invenitur). 64, 348—351; 64, 357—360; 66, 27—28; 66, 43—46; 66, 51—56; 67, 37—40; 67, 41—44; 74, 1—2; 78, 1—2; 88, 1—2; 88, 5—6; 109, 3—6.

Deinde complura enuntiata secundaria ante primarium posita hoc modo: a, b, c . . : A invenimus in his locis:

39, 2—4: Si ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille.

39, 4—6; 39, 6—7; 45, 8—9; 45, 17—18; 63, 1—5; 64, 12—15; 66, 59—64; 89, 1—4; 110, 4.

Iam ad eas periodos ducimur, in quibus nonnulla enuntiata secundaria primi ordinis inserta sunt primario, cuius partes hoc modo dissecantur A (a, b, c . . .) A. Pauca tantum exempla huius generis afferre possumus:

10, 31: Verum, utrum illius an mei, quid ad me?

21, 1—4; 64, 94—98; 64, 241—245.

Saepius reperiuntur apud Catullum periodi eae, in quibus enuntiatum primarium totum vel haec illave pars enuntiati primarii secundariis includitur. Varius est enuntiatorum secundariorum numerus, varius locus enuntiati primarii, varia sunt etiam genera inserendi, unde efficitur, ut ad has periodos significandas unum tantum schema nullo modo sufficere possit. Liceat igitur unicuique periodo adicere schema, ex quo structura et collocatio enuntiatorum cognoscatur. Ac primum quidem collegimus ea exempla, in quibus ex enuntiato primario orditur periodus, tum autem uno vel compluribus enuntiatis secundariis interpositis enuntiatum primarium ad finem perducitur, denique unum vel complura secundaria subsequuntur, ut nonnullae primarii partes secundariis includantur hoc modo: A (a, b) A. Huc spectant haec exempla: c, d

4, 1: Phaselus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus

Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire sive palmulis
Opus foret volare sive linteo.

Quae periodus hanc habet formam: $A\,(a)\,\underset{b,\,c}{\underline{A}}$. Periodus huic par legitur 63, 50—55. Huic simillima est structura 13, 1—5, hoc schemate significanda $A\,(a)\,\underset{b}{\underline{A}}$, quacum accuratissime consentit 50, 14—17, ubi post „at“ comma scribendum putamus, nam haec particula est initium enuntiati primarii „at hoc, iocunde, tibi poema feci“, neque coniungenda est cum enuntiato secundario „postquam membra semimortua labore defessa iacebant.“ Eandem periodi formam habemus 64, 366—379; 76, 7—9; 99, 7—10, ubi post particulam „nam“ comma scribendum est, atque eadem de causa his simillima est periodus quae extat 64, 280—284 hoc schemate $A\,(a, b, c)\,\underset{d}{\underline{A}}$ significanda. Eandem fere structuram exhibet 61, 16—25; etiam 68, 149—152, simillima est, nisi illud

Ne vestrum scabra tangat rubigine nomen
Haec atque illa dies atque alia atque alia.

numerandum est pro quattuor enuntiatis, quoniam subiecta adsunt quattuor eorumque unumquodque indicat novum enuntiatum. Illa quoque periodus quam legimus 95, 1—4 huc referenda est, nam qualis exstat hanc habet formam $A\,(a)\,\underset{b}{\underline{A}}$; sed scire non possumus, utrum haec periodus longior fuerit annon fuerit, cum lacunam hoc loco esse constet. Eandem structuram exhibet 98, 1—2. Similes sunt periodi 36, 11—17; 66, 79—83; 68, 135—137.

Praeterea nonnullae periodi huc pertinent, quae enuntiatum primarium exhibent non semel tantum vel uno vel compluribus enuntiatis secundariis, sed bis et ter interruptum. 25, 1—8 exstat enuntiatum primarium hoc:

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
Vel anseris medullula vel imula auricilla
Vel pene languido senis situque araneoso,
Idemque Thalle turbida rapacior procella
. . . .
Remitte pallium mihi meum, ...
Sudariumque Saetabum catagraphosque Thynos,
Inepte, ...

cui priore loco quem punctis denotavimus insertum est enuntia-

tum secundarium „cum diva munerarios ostendit oscitantes“ (notissimus ille versus, quem omnes fere homines docti, qui Catullum tractaverunt, sanare conati sunt, non tamen sanaverunt usque ad hoc tempus, ut nobis quidem videtur), altero loco „quod involasti“. Tertium enuntiatum secundarium finem facit totius periodi, ut hoc habeamus schema: $A(a)A(b)\underset{c}{\underline{A}}$. Simillimam periodum invenimus 68, 11—14 et eodem fere modo composita est periodus, quae exstat in carmine 49 sic conformata: $A(a,b)A(c)\underset{d}{\underline{A}}$. Etiam quater enuntiatum primarium interruptum est secundariis 68, 155—160 hoc modo: $A(a)A(b)A(c)A(d)\underset{e}{\underline{A}}$, nam hac in periodo enuntiatum primarium est:

Sitis felices et tu simul et tua vita
Et domus . . . .
Et . . . . Anser
. . . .
Et longe ante omnes . . . .
Lux mea, ...

quattuor enuntiata secundaria relativa inserta sunt, quintum subsequitur.

Iam addendae sunt eae periodi, quarum enuntiatum primarium includitur totum secundariis hoc modo $a:\underset{b}{\underline{A}}$, ut in his locis:

13, 13—14: Quod tu cum olfacies, deos rogabis,
Ut totum te faciant, Fabulle, nasum.

30, 4; 64, 80—83; 64, 202—206; 64, 303—306; 106, 1—2; 108, 1—6.

Huc accedit una periodus, in qua prior pars enuntiati primarii includitur, posterior autem enuntiato secundario interposito periodum ad finem perducit hoc modo: a, b : A (c) A; haec periodus exstat 71, 1—4.

Atque harum periodorum, quae ex uno enuntiato primario et compluribus enuntiatis secundariis constant, iam satis esto, nam omnes, quas invenire potuimus, ex Catulli carminibus collegimus et ita disposuimus, ut cognosci possit, quo modo enuntiata inter se sint coniuncta et copulata.

Iam initam viam persequentes progredimur ad eas periodos, quae praeter enuntiata secundaria primi ordinis etiam unum alterumve secundi ordinis exhibent. Tenendum autem est in omnibus his periodis, quas adhuc tractavimus et quas iam tractaturi sumus, unum tantum enuntiatum primarium exstare. Cum enim

ad periodum, quae ex enuntiato primario et enuntiatis secundariis primi ordinis constat, novum enuntiatum ita additur, ut ex enuntiato secundario primi ordinis, non ex primario pendeat, hoc enuntiatum secundi ordinis esse dicimus. Huius ordinis enuntiata complura coniungi possunt, sive ex uno eodemque enuntiato secundario primi ordinis sive ex diversis pendent.

Primum autem ut a simpliciore forma exordiamur, talia exempla proponamus, quae ex uno enuntiato primario, uno enuntiato secundario primi ordinis, uno secundi ordinis constent. Simplicissima ut per se patet efficitur periodi forma, cum post enuntiatum primarium positum est secundarium primi ordinis et post hoc secundi ordinis, quem enuntiatorum ordinem significavimus hoc schemate: $\frac{A}{\frac{a}{\alpha}}$. Huius formae apud Catullum invenimus exempla haec:

2, 11—13: Tam gratum est mihi quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum
Quod zonam soluit diu ligatam.

17, 23—26; 28, 6—8; 59, 1—5; 61, 156—163; 62, 37; 62, 60—61; 64, 71—75; 67, 45—46; 68, 147—148; 114, 5.

Tres invenimus periodos in quibus enuntiatum secundarium primi ordinis includit enuntiatum secundarium secundi ordinis hoc modo $\frac{A}{a(\alpha)a}$:

53, 1—5: Risi nescioquem modo e corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens:
„Di magni, salaputium disertum!"

61, 101—109; 86, 5—6.

Uno tantum loco enuntiatum primarium enutiata secundaria utriusque ordinis includit hoc modo $A\left(\frac{a}{\alpha}\right)A$; legimus hanc periodum 58, 1—5;

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Deinde enuntiata secundaria etiam anteponuntur primario, sed unum tantum locum hoc modo $\frac{a}{\alpha}:A$ ordinatum invenimus:

76, 1–6: Si qua recordanti benefacta priora voluptas
Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
Divum ad fallendos nomine abusum homines,
Multa parata manent in longa aetate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.

Nullus autem locus exstat, ubi enuntiatum secundarium secundi ordinis enuntiato secundario primi ordinis antecedat, neque ullus, ubi enuntiatum primarium sit inclusum.

In his quas modo attulimus periodis unum tantum enuntiatum uniuscuiusque ordinis exstat. Sed etiam complura enuntiata secundaria coniungi possunt, ac primum eas periodos collegimus, quae complura enuntiata secundaria primi ordinis exhibent, quorum uni tantum enuntiatum secundarium secundi ordinis additum est sive praecedit sive subsequitur sive includitur. Simplicissimae huius generis formae habemus exempla haec:

66, 48–50: Iuppiter, ut Chalybon omne genus pereat,
$\frac{A}{\frac{a,b}{\alpha}}$ Et qui principio sub terra quaerere venas
Institit ac ferri frangere duritiem!

ubi desiderari puto post „Iuppiter" verbum „fac" vel simile quid, atque post „Et" subintelligendum videtur ex iis quae antecedunt „ut is pereat", ita ut solum illud „Et" positum sit pro enuntiato secundario primi ordinis, aeque ac solum „non" in hac periodo:

69, 1–4: Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum supposuisse femur,
Non, si illam rarae labefactes munere vestis
Aut perluciduli deliciis lapidis.

Eandem formam quam in his duabus periodis habemus 101, 1–6.

Non multum differt ab his periodus hoc schemate $\frac{A}{a(\alpha)a,b}$ significanda, quae legitur 61, 202–205:

bona te Venus
Iuverit, quoniam palam
Quod cupis capis et bonum
Non abscondis amorem.

et 76, 23–24, ubi hanc formam $\frac{A}{a,b(\alpha)b}$ habemus, in quibus periodis enuntiatum secundarium secundi ordinis insertum est enuntiato secundario primi ordinis unde pendet, aeque ac 64, 116–123, quo in loco numerus enuntiatorum secundariorum primi ordinis uno auctus est.

Tum enuntiatorum secundariorum primi ordinis unum alterumve includitur primarii partibus, ut hanc figuram $A\,(a)\,\underset{\underset{a}{\overline{b}}}{A}$ exhibeat periodus. Huius modo periodi sunt:

11, 21—24: Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit veluti prati
Ultimi flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.

55, 21—22; 90, 3—6, his simillima est periodus 10, 9—13 hac figura $\underset{\overline{b,\,c\,(\alpha)\,c}}{A\,(a)\,A}$ explicanda. Periodus quae exstat 5, 10—13 huic par est praeter quod enuntiatum secundarium secundi ordinis non includitur sed sequitur post illud tertium enuntiatum secundarium primi ordinis, ex quo pendet hoc modo: $A\,(a)\,\underset{\underset{\alpha}{\overline{b,\,c}}}{A}$. In carminis 110 v. 3 enuntiatum secundarium secundi ordinis antecedit enuntiato secundario primi ordinis et haec duo inserta sunt primario, ut haec forma $A\,(\alpha : a)\,A$ exstet. Nonnullis in locis enuntiatum primarium includit enuntiata secundaria omnia, ut periodum et aperiat et finiat hoc modo $A\,(\underset{\alpha}{a},\,b)\,A$ ut

37, 11—14: Puella nam me, quae meo sinu fugit,
Amata tantum quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic.

Etiam maior numerus enuntiatorum secundariorum primi ordinis, ex quorum uno enuntiatum secundarium secundi ordinis pendet, in duobus locis exstat: 23, 1—6: $A\,(\underset{\alpha}{a},\,b,\,c,\,d,\,e,\,f)\,A$ et 64, 397—406: $A\,(a,\,b,\,c,\,d,\,\underset{\alpha}{e},\,f)\,A$.

Iam restat ut tractemus ea exempla, in quibus antecedit unum alterumve enuntiatum secundarium enuntiato primario. Unum tantum enuntiatum secundarium primi ordinis ante primarium positum est 68, 37—39: $a : \underset{\underset{\alpha}{b}}{A}$; tum etiam ex hoc enuntiato pendet enuntiatum secundarium secundi ordinis et hoc quoque primario antecedit 15, 14—19: $\underset{\alpha}{a} : \underset{b}{A}$; 64, 158—163: $\underset{\alpha}{a} : \underset{b}{A}$; 89, 5—6: $\underset{\alpha}{a} : A\,(b)\,A$.

Etiam complura enuntiata secundaria primi ordinis anteponun-

tur, sed hoc rarius est neque complura huius periodi exempla in Catulli carminibus sunt, sed hoc unum quod legimus 7, 3—12: a, b (α) b : A.
c, d

Iam sequantur periodi eae, in quibus complura enuntiata secundaria secundi ordinis leguntur. Simplicissima forma haec est A quam habemus.
a
α, β

80, 1—4; Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis et cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?

Non multum ab hac forma differunt hae periodi: 50, 7—13: A; 55, 1—2: A; 68, 31—32: A. Nonnullis in periodis unum al-
a, b, c — α : a — a (α) a
α, β — β — β

terumve enuntiatum secundarium includitur partibus enuntiati primarii ut 11, 1—16: A (a, b, c, d, e) A (f) A; 17, 1—6: A (a, b, c) A;
α — β — α, β — d

61, 151—153: A (α) A; 82, 1—4: A (a, b) A.
a — α — c, d
β — β

Enuntiatum secundarium unum alterumve etiam ante primarium positum est, sed hoc rarius fit, nam tria tantum exempla invenimus haec: 10, 5—8: a : A; 24, 1—6: a : A; 96, 1—6: a : A.
b — α, β, γ — b — α, β — b
α, β, γ — δ, ε

Ad finem harum periodorum pervenisse videmur, transeamus igitur ad proximam formam, quae praeter enuntiata secundaria primi et secundi ordinis etiam unum vel complura tertii ordinis exhibet, atque a simplicioribus huius formae exemplis incipiamus. Periodus haec:

8, 3—5: Fulsere quondam candidi tibi soles
Cum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.

hanc habet formam: A; periodus quae legitur 15, 2—5 illustranda
a
α
𝔄

est hoc schemate: A. In carminis 116 v. 1—6 enuntiata secun-

$$\overline{a\left(\frac{\alpha}{\mathfrak{A}}\right)a}$$

daria omnia inserta sunt enuntiato primario. 23, 18—23 legimus periodum, in qua post enuntiatum primarium subsequuntur tria enuntiata secundaria primi ordinis, ex quorum ultimo pendet unum enuntiatum secundarium secundi ordinis „Quo *) tu .... non unquam digitum inquinare possis", cui inserta sunt duo enuntiata secundaria tertii ordinis „si manibus teras fricesque", ita ut habeamus periodi formam A. Similes sunt periodi quae le-

$$\frac{\overline{a,\ b,\ c}}{\overline{\alpha(\mathfrak{A},\mathfrak{B})\alpha}}$$

guntur 35, 7—12: A (a) A; 44, 18—22: A; 62, 26—29: A,

$$35,7\text{—}12:\ A\ (a)\ \frac{A}{\frac{\overline{b,\ c}}{\overline{\alpha(\mathfrak{A})\alpha}}};\quad 44,18\text{—}22:\ \frac{A}{\frac{\overline{\alpha : a, b}}{\frac{\overline{\beta}}{\overline{\mathfrak{A}}}}};\quad 62,26\text{—}29:\ \frac{A}{\frac{\overline{a}}{\frac{\overline{\alpha,\beta,\gamma}}{\overline{\mathfrak{A}}}}}$$

Duo iam restant loci qui huc referendi sunt, sed ab iis quae modo exposuimus eo differunt, quod enuntiatum primarium includitur enuntiatis secundariis, legimus haec 64, 86—93: a : A et 66, 1—14: a, b : A.

$$64,86\text{—}93:\ \frac{\overline{a}}{\overline{\alpha}} : \frac{\overline{A}}{\frac{\overline{b,c}}{\overline{\mathfrak{A},\mathfrak{B}}}}\qquad 66,1\text{—}14:\ \frac{\overline{a,\ b}}{\overline{\alpha,\beta,\gamma}} : \frac{\overline{A}}{\frac{\overline{c}}{\frac{\overline{\delta}}{\overline{\mathfrak{A}}}}}$$

Porro nobis progrediendum est et periodi eae sunt addendae, in quibus enuntiata secundaria etiam quarti ordinis reperiuntur. Huius generis tria tantum exempla apud Catullum leguntur:

$$64,228\text{—}237:\ \frac{\overline{a}}{\overline{\alpha,\beta}} : \frac{\overline{A}}{\frac{\overline{b,\ c}}{\frac{\overline{\gamma(\mathfrak{A})\gamma,\delta}}{\frac{\overline{\mathfrak{B}}}{\overline{\mathfrak{a}}}}}};\quad 68,1\text{—}10:\ \frac{\overline{a}}{\frac{\overline{\alpha,\beta}}{\frac{\overline{\mathfrak{A},\mathfrak{B}}}{\overline{\mathfrak{a}}}}} : \frac{A}{b,c};\quad 68,79\text{—}86:\ a : \frac{A}{\frac{\overline{b}}{\frac{\overline{\alpha}}{\frac{\overline{\mathfrak{A}}}{\overline{\mathfrak{a}}}}}}.$$

Postremo una periodus sequatur, in qua enuntiata secundaria quinti quoque ordinis exstant, quam legimus

*) Codd. hoc loco exhibent „quod", sed tamen „quo" scribendum esse putamus, nam si hoc fit, melior efficitur orbis neque hi sex versus inter se arctissime cohaerentes secernendi sunt in duas periodos. Levi autem errore ex „quo tu" illud „quod tu" scriptum esse videtur.

68, 51—62: A (a) A.
b
α β
𝔄, 𝔅 ℭ
𝔞 (1) 𝔞
2

His omnibus quae de iis periodis, quae unum tantum exhibent enuntiatum primarium, nobis erant dicenda expositis ad periodos compositas (ut ita dicam) transeamus h. e. eas, in quibus complura enuntiata primaria inter se copulantur, ad quae unum vel complura enuntiata secundaria adduntur. Ac primum quidem eas consideremus periodos, in quibus enuntiatis primariis adiunguntur enuntiata secundaria primi tantum ordinis, deinde nobis progrediendum erit ad eas, quae enuntiata secundaria etiam secundi ordinis exhibent, tum tractabimus eos locos, ubi enuntiata secundaria tertii ordinis exstant; postremo videndum erit, ubi enuntiata secundaria quarti ordinis reperiantur. Quinti enim ordinis enuntiata secundaria in his periodis compositis exstant apud Catullum nulla.

Earum igitur periodorum, quae ex enuntiatis primariis et secundariis primi ordinis constant, simplicissimae sunt eae, in quibus duo enuntiata primaria cum uno secundario copulantur. Hoc enuntiatum secundarium aut subsequitur aut includitur aut antecedit, ut sex formae inter se diversae effici possint, vel ad prius vel ad alterum enuntiatum primarium adiuncto illo enuntiato secundario. Hic quaerat quispiam, num includatur enuntiatum primarium vel hoc vel illud enuntiati secundarii partibus; sed huius modi exempla apud Catullum non invenimus praeter unum quod huc erit referendum.

Iam videamus eas periodos, quae sic sunt conformatae, ut post enuntiatum primarium prius subsequatur enuntiatum secundarium, enuntiatum primarium alterum autem periodum finiat et concludat hoc schemate A; B significandum. Haec sunt huius generis exempla: a

3, 13—15: At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis,
Tam bellum mihi passerem abstulistis.

4, 6—12; 41, 7—8; 63, 31—34; 63, 73; 64, 207—211.

Eodem modo additur enuntiatum secundarium ad enuntiatum primarium alterum, ante haec autem enuntiatum primarium prius locum suum tenet, quod hoc schemate A; B significamus:
a

1, 3—7: Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Iam tum cum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis Iuppiter et laboriosis.

Nam ad illud „Corneli tibi“ ut per se patet ex iis quae antecedunt subintelligendum esse „dono lepidum novum libellum“, ut enuntiatum primarium fiat plenum. Simili modo illud „et“ in his verbis

3, 1—2: Lugete, o Veneres Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.

positum est pro „et lugete vos omnes“, ita ut hoc uno vocabulo enuntiatum primarium alterum efficiatur. Huius generis haec exempla sunt: 11, 17—20; 12, 4—5; 14, 4—5; 22, 18—20; 22, 20—21; 29, 21—22; 32, 1—3; 42, 3—5; 60, 1—5; 61, 81—83; 62, 8; 62, 9; 62, 11—12; 62, 13; 64, 24—27; 64, 29—30; 64, 139—142; 64, 149—151; 66, 15—17; 66, 31—32; 68, 92—96; 69, 7—8; 69, 9—10; 78, 3—4; 78, 5—6; 79, 1—2; 91, 9—10; 92, 3—4; 100, 5—7; 110, 1—2.

Secundum harum periodorum genus ex duobus enuntiatis primariis et uno enuntiato secundario sic est conformatnm, ut enuntiatum secundarium includatur partibus enuntiati primarii vel prioris vel posterioris. Priori enuntiato insertum est hoc modo A (a) A; B in his exemplis:

6, 1—3: Flavi, delicias tuas Catullo,
Nei sint inlepidae atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.

22, 1—3; 28, 11—13; 41, 5—7; 56, 3—4; 61, 61—64; 61, 146—148; 61, 176—178; 61, 191—195; 63, 6—11; 64, 285—291; 64, 326—327; 66, 84—86; 66, 89—92.

Alteri autem enuntiato primario insertum est enuntiatum secundarium hoc modo A; B (a) B in his exemplis:

8, 1—2: Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides perisse, perditum ducas.

56, 5—7; 70, 3—4; 72, 5—6; 76, 14; 104, 3.

Tum praemittitur quoque enuntiatum secundarium hoc modo a: A; B ut in his locis:

55, 18—20: Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proiicies amoris omnes,
Verbosa gaudet Venus loquella.

61, 71—74; 74, 3—4. — Neque tamen periodus exstat, in qua enuntiatum secundarium praecedat enuntiato primario secundo hoc

schemate A; a: B, neque ulla, in qua enuntiatum primarium prius sit inclusum ut a (A) a; B. Enuntiatum primarium secundum partibus secundarii inclusum semel invenimus 12, 14—17, quae periodus ex hoc schemate A; a (B) a conformata est.

Cum duobus enuntiatis primariis etiam complura enuntiata secundaria primi ordinis copulantur tribus inter se diversis modis: aut enuntiata secundaria omnia adiunguntur priori enuntiato primario aut posteriori aut pars enuntiatorum secundariorum huic, pars illi adiungitur.

Ex priore enuntiato primario pendent omnia enuntiata secundaria, ex posteriore nullum in his periodis: 36, 3—10 et 63, 39—43, quae hoc modo A (a, b) A; B sunt conformatae.

Ex posteriore autem enuntiato primario pendent omnia enuntiata secundaria, ex priore nullum in his periodis: 12, 10—13; 25, 9—13; 64, 99—102; 64, 188—191; 64, 328—332; 64, 334—336; 67, 15—16; 93, 1—2; 99, 3—6. Hae periodi omnes sic sunt compositae, ut hoc schemate A; B explicari possint; non multum ab his differunt
a, b
nonnullae aliae, in quibus pars enuntiatorum secundariorum enuntiato primario est inserta ut 4, 13—24: A; B (a, b, c) B; 29, 1—4:
d
A; B (a, b, c) B; 64, 52—57: A; B (a) B.
d b

Postremo ei sunt considerandi loci, in quibus alterum enuntiatum secundarium pendet ex altero primario vel hoc modo A; B
a b
ut 72, 3—4 et 88, 7—8, vel hoc modo A (a) A; B ut 21, 9—10; 37 14—20;
b
61, 36—45; 64, 192—197; 67, 31—36. His simillimae sunt duae periodi, in quibus utrique enuntiato primario insertum est enuntiatum secundarium hoc modo A (a) A; B (b) B; exstant hae: 34, 21—24 et 37, 1—8; nec multum differunt periodi hae: 64, 198—201 et 74, 5—6, quae hanc formam a: A; B (b) B exhibent, neque periodus quae legitur 98, 5—6, ex hoc schemate a: A; b: B conformata.

Persaepe etiam tria enuntiata primaria cum uno vel pluribus enuntiatis secundariis primi ordinis in unam periodum coalescunt. Atque si unum enuntiatum secundarium periodo inest, hoc vario modo adiungi potest, sive ex hoc sive ex illo primario enuntiato pendet, sive inseritur, sive antecedit, sive postponitur vel huic vel illi. Iam varia genera, quae apud Catullum leguntur, deinceps pertractemus.

Enuntiatum secundarium primo enuntiato primario inseritur hoc modo A (a) A; B; C his locis: 24, 9—10; 27, 5—7, 32, 9—10; 101, 7—10.

Enuntiatum secundarium primo enuntiato primario antecedit hoc modo a: A; B; C semel tantum in Catulli carminibus: 22, 9—11.

Secundo quoque enuntiato primario adiungitur illud unum enuntiatum secundarium; sed pauca huius modi exempla apud Catullum exstant et postpositum quidem est enuntiatum secundarium ex hoc schemate $A ; \underset{a}{\underline{B}} ; C$ ut 9, 6—9; 12, 6—9; 15, 6—10.

Denique cum tertio quoque enuntiato primario copulatur enuntiatum secundarium ac tum aut subsequitur aut includitur. Postpositum inuenimus enuntiatum secundarium hoc modo $A ; B ; \underset{a}{\underline{C}}$ his in locis: 29, 17—19; 63, 65—69; 64, 60—67; 68, 20—24; 68, 67—69; 110, 5—8. Insertum tertio enuntiato primario exstat enuntiatum secundarium ex hoc schemate A; B; C (a) C his in locis: 5, 4—6 et 77, 9—10.

Complura quoque enuntiata secundaria primi ordinis cum tribus enuntiatis primariis copulantur sive pendent ex uno illorum sive alterum enuntiatum secundarium ad alterum enuntiatum primarium adiungitur. Huc referendae sunt hae periodi: 32, 4—8: $A\ (a)\ \underset{b,c}{\underline{A}};\ B;\ C;$ 48, 1—6: $a\!:\ A;\ B;\ \underset{b}{\underline{C}};$ 61, 26—35: $A;\ \underset{a}{\underline{B}};\ \underset{b}{\underline{C}};$ 63, 19—25: $A;\ \underset{a,b,c,d,e,f,g}{\underline{B;\quad C;}}$ 63, 44—47: $A;\ \underset{a,b}{\underline{B}};\ C;$ 63, 87—90: A (a, b) A; B; C; 68, 15—20: $a, b\!:\ A;\ \underset{c}{\underline{B}};\ C;$ 76, 15—16: $A;\ B;\ \underset{a,b}{\underline{C.}}$

Iam eas contemplemur periodos, quae etiam plura enuntiata primaria coniuncta cum enuntiatis secundariis primi ordinis exhibent. Saepius fit, ut unum tantum enuntiatum secundarium addatur ad unum alterumve horum enuntiatorum primariorum. Sic ex primo enuntiato primario pendet enuntiatum secundarium sive includitur ut 22, 4—8: A (a) A; B; C; D; E; F; G et 51, 6—12: A (a) A; B; C; D; E et 61, 1—15, ubi haec eadem forma exstat, sive subsequitur ut 55, 15—17: $\underset{a}{\underline{A}};\ B;\ C;\ D;\ E$ et 61, 211—215: $\underset{a}{\underline{A}};\ B;\ C;\ D,$ sive antecedit ut 64, 31—34: a: A; B; C; D.

Ex secundo autem enuntiato primario pendet enuntiatum secundarium his locis: 8, 9—11: A; B (a) B; C; D; E et 14, 16—20: A; B (a) B; C; D.

Post tertium enuntiatum primarium positum est enuntiatum secundarium 42, 21—24: A; B; $\underset{a}{\underline{C}}$; D et 61, 94—98, quae periodus eandem exhibet formam.

Insertum est enuntiatum secundarium tertio enuntiato primario 23, 24—27 hoc modo A; B; C (a) C; D.

Post quartum enuntiatum primarium positum invenimus enuntiatum secundarium 31, 12—14: A; B; C; $\underset{a}{\underline{D}}$; 63, 81—83: A; B; C; $\underset{a}{\underline{D}}$; E; 64, 256—264: A; B; C; $\underset{a}{\underline{D}}$; E; F; G; H.

Ac postremum quidem ad quintum enuntiatum primarium additur enuntiatum secundarium ex hoc schemate: A; B; C; D; $\underset{a}{\underline{E}}$; 64, 154—157 et 64, 311—319 hoc modo: A; B; C; D; $\underset{a}{\underline{E}}$; F.

Numerus earum periodorum, quae ex quattuor vel pluribus enuntiatis primariis ac nonnullis enuntiatis secundariis primi ordinis constant, minor est quam quae accuratius disponi possint. Attulisse has periodos sufficere videtur. Haec invenimus exempla: 3, 3—10: $\underset{a}{\underline{A}}$; B; $\underset{b}{\underline{C}}$; D; E; 63, 12—18: A; B; $\underset{a,b}{\underline{C}}$; D; 64, 145—148: a: A; B; C (b) C; D; 68, 33—36: A (a) $\underset{b}{\underline{A}}$; B; C; D; E; 68, 41—50: $\underset{a,b}{\underline{A}}$; B; C; D; $\underset{c,d,e}{\underline{E}}$; 83, 3—6: a: A; B (b, c) B; C (d) C; D; E; F; 103, 1—4: A (a) A; $\underset{b}{\underline{B}}$; C (c) C; D.

Iam ratione instituta ducimur ad eas periodos considerandas, in quibus ad complura enuntiata primaria et enuntiata secundaria primi ordinis etiam secundi ordinis enuntiata secundaria addita sunt. Huius generis unum tantum exemplum, quod omnium est simplicissimum, adscripsisse, ceterorum et locos attulisse et formas exposuisse schematis sufficiat.

16, 1—4: Paedicabo ego vos et irrumabo,
Aureli pathice et cinaede Furi,
Qui me ex meis versiculis putastis,
Quod sunt molliculi, parum pudicum.

quae periodus hanc habet formam: A; $\underset{a(\alpha)a}{\underline{B}}$. Ceterae periodi sunt hae: 14, 8—11: a (α) a: A; $\underset{b}{\underline{B}}$; 17, 14—22: a: $\underset{b}{\underline{A}}$; B; C; $\underset{\underset{\alpha}{\underline{c}}}{\underline{D}}$; E; F;

G (d, e, f) G; 22, 12—17: A; a, b: B; C; D; E; 30, 9—10: a: A; B;
α c b(α)b
35, 1 6: a (A) a; B; 39, 10—16: a, b, c, d, e, f, g, h: A; B; 39, 17—21:
α b α β
A; B (a) B; 51, 1—6: A; B (a) B; C (d) C; 64, 215—217: A (a, b) A;
b(α)b b, c α
α
B; C; D; 66, 39—42: A; B; C; 67, 1—8: A; B; C; 67, 20—28: A;
c a a b c a
α α β
B; C; D; 68, 27—30: A (a / α) A; B; 68, 70—76: A; B; 68, 119—128:
b, c d a
α α
A; B; 81, 1—6: A; B; C; 84, 1—4: A (a) A; B; 84, 7—12; A;
a(α)a, b c a b, c b(α)b
β α
B; C; 87, 5—8: A; B; 91, 1—6: A; B; 102, 1—4: a: A; B:
a(α)a a, b a, b c α
α β α

Fieri autem potest, ut in enuntiatis secundariis secundi ordinis insit vocabulum aliquod, cuius vis ac notio accuratius definienda est. Quod si vel adiectivo vel adverbio vel simili modo fieri non potest sive grammaticae leges sive concinnitas orationis obstant sive alia causa, novum enuntiatum secundarium subordinatum addendum est, quod tertii ordinis vocatur. Neque tamen saepe Catullus hoc enuntiatorum genere usus est, nam supra iam vidimus paucas exstare periodos constantes ex uno enuntiato primario, cui praeter enuntiata secundaria et primi et secundi ordinis etiam tertii ordinis admixta sunt. Multo autem rarius cum compluribus enuntiatis primariis enuntiatum secundarium tertii ordinis in unam periodum coniunctum invenitur, nam unum tantum huius generis exemplum habemus:

73, 4—6: Immo enim taedet, si fit, obestque magis
Ut mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

quae periodus hanc forman habet: A; B.
a b
α
𝔄

Atque ut ad finem perveniamus restat ut unam eam, quae in Catulli libro est, afferamus periodum, in qua ad complura

enuntiata primaria enuntiatum secundarium etiam quarti ordinis additur, 68, 105—116, hoc modo A; B conformatam.

a

α

𝔄

a, b

Hae sunt periodorum Catullianarum pleraeque formae, non dico omnes, omisimus enim parvum periodorum numerum, in quibus parenthesis quam vocant invenitur. Hanc rem iam Quintilianus (inst. orat. IX, 3, 23) commemoravit his verbis: „Illa quoque ex eodem genere possunt videri: unum quod interpositionem vel interclusionem dicimus, Graeci παρένθεσιν vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit, Ego cum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem“. Accuratissime Lehmannus vim et naturam parenthesis exposuit pag. 38—39 et 204—221. Legimus apud eum pag. 38: „Was in etwas Anderes eingeschaltet wird, ist diesem auch subordinirt, das verlangt die regelmäßige oder besser die logische Construction. Aber die Grammatik kehrt sich daran nicht, sondern schaltet Hauptsätze auch in coordinirte Hauptsätze, ja sogar in subordinirte Nebensätze ein. Dieser eingeschaltete Satz ist dann wirklich nach den Gesetzen der Logik dem einschaltenden Satze subordinirt, d. h. sein Gedanke ist dem Gedanken dieses einschaltenden Satzes als Erklärung, Ergänzung, Begründung oder sonst etwas beigefügt. Nichtsdestoweniger stellt ihn die Grammatik ganz als einen Hauptsatz hin.“

Notissimus parenthesis usus est, cum orationi directae quam vocant insertum est verbum finitum „inquit“ vel „ait“ vel similia, ut apud Latinos persaepe fit. Dicet quispiam hunc usum parenthesin nominari non posse, sed nos quidem fatemur nos huius modi locos interpretari non posse, nisi statuimus parenthesin; atque auctore utimur Lehmanno, qui pag. 219 de hoc usu egit. Legimus apud Catullum

10, 14—16: At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines.

Haec periodus, cum illud „inquiunt“ omittitur, hanc exhibet formam A (a) A, nam enuntiatum secundarium „quod illic natum dicitur esse“ insertum est enuntiato primario. Praeterea illud „inquiunt“ insertum est, quod sine dubio enuntiatum primarium est. Habemus igitur hoc loco parenthesin, nam alterum enuntiatum primarium alteri est insertum et hoc schema A [B] (a) A exhibet periodus. Simili modo est insertum „inquam“ 10, 16—20 et

13, 6—8; porro „inquies" 24, 7 ac saepissime „inquit" 10, 24—27; 45, 1—7; 45, 10—16; 63, 78—80.

Nonnulla alia parenthesis exempla habemus in his carminibus:

2, 1—10, ubi enuntiato primario

Passer deliciae meae puellae —
Tecum ludere sicut ipsa possem

inserta sunt quattuor enuntiata secundaria primi ordinis; ex quarto pendet enuntiatum secundarium secundi ordinis „cum desiderio meo nitenti Carum nescioquid libet iocari Ut solaciolum sui doloris" et ex hoc iterum „ut iam gravis acquiescat ardor"; ante hoc enuntiatum secundarium tertii ordinis intercluditur extra periodi structuram positum illud „credo", habemus igitur parenthesin.

10, 28—31: Mane me [inquii puellae]
Istud quod modo dixeram, me habere
[Fugit me ratio:] meus sodalis
Cinna est Gaius, is sibi paravit.

duas igitur parentheses hic habemus. Ceterae sunt:

14, 21—23: [valete]
16, 5—11: [dico]
33. 1—8: [Nam dextra pater inquinatiore
Culo filius est voraciore.]
44, 1—9: [Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.]
50, 18—20: [Oramus]
61, 196—199: [ita me iuvent Caelites]
61, 216: [volo]
62, 39—47: [Multi illum pueri, multae optavere puellae,
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae.]
62, 49—58: [Hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci,
At si forte eademst ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi coluere iuvenci.]
64, 105—111: [illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, late qua est impetus obvia frangens.]
64, 269—277: [leni resonant plangore cachinni.]

65, 1—30, ubi vv. 4—20 interrupta est periodus per naenias illas admirabiles, quibus fratrem mortuum lamentatur poeta.

66, 18: [ita me divi iuerint.]

66, 69—76: [Namque ego non ullo vera timore tegam,
Nec si me infestis discerpent sidera dictis
Condita quin verei pectoris evoluam.]
67, 9—14: [ita Caecilio placeam, cui tradita nunc sum.]
76, 17—22: [et si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem perniciemque mihi.]
96^b, 1—2: [ita me di ament.]

Sed haec hactenus de parenthesis usu. Numerus locorum qui huc pertinent magnus non est neque intellectus his enuntiatis interpositis impeditur, quia omnes hae parentheses modum non excedunt praeter unam illam quae exstat in carmine 65.

Nunc autem priusquam hanc quaestionem, quatenus Catullus periodorum conformatione usus sit, absolvamus, paucis exponendum videtur, cur hanc vel illam periodum sic ut fecimus interpretati simus; neque enim possumus negare nonnullis in locis ambiguam et dubiam rem esse. Quod ut doceamus unum exemplum afferre liceat. Legimus 64, 99—102 haec:

Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quanto saepe magis fulgore expalluit auri!
Cum saevum cupiens contra contendere monstrum
Aut mortem oppeteret Theseus aut praemia laudis.

Hos versus sic sumus interpretati, ut duo enuntiata primaria sint copulata, ex quorum posteriore pendeant duo enuntiata secundaria, atque consilio hunc locum sic exposuimus, nam illud „Quantos illa tulit languenti corde timores!“ eodem modo atque altera exclamatio cum iis quae sequuntur coniungendum esse videtur, quare primus ille versus a ceteris secerni non potest. Fortasse autem alius quis hunc locum sic explicare mavult, ut versus ille „Quantos illa tulit languenti corde timores!“ solus efficiat orbem et verba quae sequuntur ab his secernantur. Ac sine dubio hoc quoque dici potest, quamquam aptior nobis quidem nostra illa videtur explicatio. Tali autem ambiguitate structurae saepe sumus vexati, cum incertum esset, quaenam enuntiata essent coniungenda in unam periodum. Certae enim leges hac de re nec sunt neque esse possunt, ut per se patet. Enuntiata singula, quae inter se cohaerere videntur, saepe diiudicanda sunt ac Lachmannus, qua erat sagacitate et linguae latinae cognitione, fere ubique cum periodorum connexionem sensu suo examinavit recte iudicavit, quare huuc hominem doctissimum secuti sumus plerisque in locis, ubi controversia erat, qui quod censuerit, interpungendi ratione plerumque satis perspicue demonstravit. Perpaucis tamen in locis

aliter ac Lachmannus docuit diiudicandam esse rem arbitramur, sed non tanta sumus arrogantia, ut dicamus nostram explicationem esse veram, omnium autem aliorum, qui aliud quid censuerint, falsam. Examinavimus unumquemque locum, qui dubius et incertus est visus, et statuimus, quod aptissimum esse censuimus.

Eodem autem modo ut de connexione et complexione, de numero quoque enuntiatorum lis et controversia saepius esse potest. Sic nonnullis in locis unum tantum enuntiatum statuimus, ubi alius quis duo esse putet, quia duo exstant subiecta. Legimus

13, 11—12: Nam unguentum dabo, quod meae puellae
Donarunt Veneres Cupidinesque.

Sine dubio haec „quod donarunt Veneres Cupidinesque" duo enuntiata esse dici potest, nam haec verba scripta sunt pro: „quod donarunt Veneres et quod donarunt Cupidines". Attamen *hoc* unum tantum esse enuntiatum putavimus, quia Veneres et Cupidines vel Venus et Cupido in unum deum quasi coalescere videntur. Atque eodem modo aliis in locis huic similibus statuimus, ubi complura subiecta ita sunt composita, ut sint pro uno tantum subiecto. Ubique tamen hoc non licuit, sed est ubi singula subiecta efficiant singula enuntiata ut

88, 5—6: Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Thetys,
Nec genitor Nympharum abluit Oceanus,

ubi duo statuimus enuntiata secundaria, quia ex numero singulari verbi „abluit" et ex usu particulae „nec" effici putavimus, ut utrumque subiectum et Thetys et Oceanus separatum indicet enuntiatum. Simile est

89, 1—4: Gellius est tenuis: quid ni? cui tam bona mater,
Tamque valens vivat tamque venusta soror,
Tamque bonus patruus tamque omnia plena puellis
Cognatis, quare is desinat esse macer?

ubi, quia quattuor exstant subiecta: „mater, soror, patruus, omnia", praesertim cum unicuique eorum per illud „tam" vel „tamque" maior accedat vis, putamus Catullum sine dubio voluisse, haec esse quattuor enuntiata singula. Plerumque igitur ex numero subiectorum quae exstant numerum enuntiatorum constituimus. Sed non ubique hoc fecimus, nam ubi complura subiecta, quibus unum tantum praedicatum additum est, in unam notionem coalescunt vel unam eandemque rem significant, haec pro uno subiecto et totum ambitum pro uno enuntiato habuimus.

Eodem fere modo iudicavimus iis in locis, ubi ad unum subiectum praedicata complura addita sunt. Subiectum illud,

quamquam semel tantum scriptum est, ad unumquodque praedicatum subintelligendum esse patet, quo fit, ut quot exstent praedicata, tot sint statuenda enuntiata. Non raro autem praedicata complura idem indicant et unam tantum notionem exprimunt, quod saepissime fieri solet, cum praedicatum compositum est ex verbo substantivo quod vocatur et nonnullis nominibus adiectivis. Plerisque in locis, qui sic sunt conformati, haec nomina adiectiva in unum coniuncta pro uno praedicato habuimus ut

9, 11: Quid me laetius beatiusve?
13, 10: Seu quid suavius elegantiusve est.
38, 4: quod minimum facillimumque est.

Simili modo etiam adverbia duo coniuncta reperiuntur:

7, 1—2: Quaeris quot mihi basiationes
Tuae, Lesbia, sint satis superque.

Nonnullis autem in locis difficile est indicatu, utrum ellipsis sit statuenda, ut complura habeamus enuntiata, an subiecta complura vel praedicata complura unius loco sint scripta, ut enuntiatum sit statuendum unum; ergo in huius modi locis ambiguis quid poeta voluerit exponere quantum fieri poterat deliberavimus et consideravimus, quo facto aut hoc aut illud statuimus, quod aptius nobis est visum.

Iam de constructione illa, quae „accusativus cum infinitivo" vocatur, pauca exponenda videntur. Notum est saepe id, quod enuntiatum secundarium nostrae vernaculae linguae est, cum in linguam latinam convertitur, constructione accusativi cum infinitivo indui, atque cum accusativus cum infinitivo in nostrum convertitur sermonem, ex eo fieri enuntiatum secundarium. Quare accusativus cum infinitivo unusquisque enuntiatum secundarium putari potest. Tamen hac in commentatione accusativum cum infinitivo sic sumus interpretati ut sit pars enuntiati, non enuntiatum plenum. Etiam permulti homines docti*) exposuerunt constructionem accusativi cum infinitivo non esse enuntiatum, sed partem enuntiati, quod nos dicimus „ein Satztheil".

*) W. Weißenborn, Syntax der lateinischen Sprache für die oberen Klassen gelehrter Schulen, 1835 pag. 179. — Idem in Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1842 pag. 697, ubi agit de Füistingii commentatione „de natura accusativi cum infinitivo apud Latinos 1839". — G. T. A. Krüger, Untersuchungen aus dem Gebiete der lateinischen Sprache, Braunschweig, 3. Heft, 1827, pag. 324. — Ferdinand Schultz, Kleine Lateinische Sprachlehre § 267, 1. — Billroth, Lateinische Schulgrammatik für alle Klassen, Leipzig 1834, § 252, Anm. 1. — C. F. Etzler, Spracherörterungen, Breslau 1826, VI pag. 70. — Lehmann, Mechanismus rc. pag. 13.

Haec sunt quae exponere necessarium nobis est visum, ut rationes quas in hac commentatione sumus secuti declaremus; iam inter se comparemus omnium periodorum formas, ut cognoscamus, quatenus Catullus periodorum conformatione usus sit.

Si omnes, quas adhuc tractavimus, periodos colligimus, quadringentae viginti quinque sunt numero. Quo ex numero si illas vigenti septem parentheses omittimus, quadringentae fere supersunt periodi. Multo maior earum pars simplices sunt, ut hoc nomine utamur, h. e. quae unum tantum enuntiatum primarium exhibent, nam 238 sunt numero. Compositae autem periodi, h. e. in quibus complura enuntiata primaria coniunguntur, 160 sunt numero; videmus igitur Catullum simpliciores periodos praeposuisse artificiosioribus. Enuntiata secundaria primi tantum ordinis inveniuntur in 178 simplicibus periodis, enuntiata secundaria secundi ordinis in 47, tertii ordinis in 9, quarti ordinis in 3, quinti ordinis in 1. Hoc loco numeravimus ex infimo enuntiatorum secundariorum ordine, sed per se patet, in unaquaque etiam esse enuntiata secundaria superiorum ordinum, nam ex his enuntiata inferiorum ordinum pendent.

Ex his 178 periodis, in quibus unum enuntiatum primarium cum enuntiatis secundariis primi tantum ordinis coniungitur, 114 sunt, quae unum tantum enuntiatum secundarium exhibent, 64, quae complura, ut maior pars sit maiore simplicitate.

Ex periodis compositis 160 maior numerus enuntiata secundaria primi tantum ordinis exhibet, 136, cum 22 tantum sint, in quibus enuntiata secundaria etiam secundi ordinis inveniuntur, singulae autem, in quibus etiam tertii et quarti ordinis.

Harum 136 periodorum 88 duo enuntiata primaria exhibent, 25 tria, 23 plura. Aequam proportionem esse videmus, cum quaerimus, in quot periodis unum enuntiatum secundarium primi ordinis, in quot complura exstent: Illarum enim 88 periodum 62 unum, 26 complura; illarum 25 17 unum, 8 complura; illarum 23 autem 16 unum, 7 complura exhibent enuntiata secundaria primi ordinis.

Videmus igitur ex his omnibus, quo sint artificiosiores periodi, eo esse rariores in Catulli carminibus, quod ut uno aspectu dilucidius cognoscatur, varia periodorum genera hoc parvo indice disposuimus.

Periodi simplices	—	—	238
enuntiata secundaria primi ordinis	—	178	—
unum enuntiatum secundarium	114	—	—
complura enuntiata secundaria	64	—	—
enuntiata secundaria secundi ordinis	—	47	—
enuntiata secundaria tertii ordinis	—	9	—
enuntiata secundaria quarti ordinis	—	3	—
enuntiata secundaria quinti ordinis	—	1	—

Periodi compositae	—	—	—	160
enuntiata secundaria primi ordinis	—	—	136	—
duo enuntiata primaria	—	88	—	—
unum enuntiatum secundarium	62	—	—	—
complura enuntiata secundaria	26	—	—	—
tria enuntiata primaria . . , . . .	—	25	—	—
unum enuntiatum secundarium	17	—	—	—
complura enuntiata secundaria	8	—	—	—
plura enuntiata primaria	—	23	—	—
unum enuntiatum secundarium	16	—	—	—
complura enuntiata secundaria	7	—	—	—
enuntiata secundaria secundi ordinis . . .	—	—	22	—
enuntiata secundaria tertii ordinis	—	—	1	—
enuntiata secundaria quarti ordinis . . .	—	—	1	—

Cum hac periodorum varietate ut per se patet numerus enuntiatorum secundariorum variorum ordinum consentit. Enuntiata secundaria in his omnibus periodis exstant primi ordinis 665, secundi ordinis 114, tertii ordinis 21, quarti ordinis 6, quinti ordinis 2. Sed non ex numero solum, sed etiam ex collocatione enuntiatorum illam Catulli simplicitatem cognoscimus. Simplicissima

enim collocandi enuntiata ratio ut per se patet haec est, ut enuntiatum subordinatum sit positum post enuntiatum superioris ordinis, ex quo pendet, et hoc modo sunt locata enuntiata secundaria 505 (388 primi ordinis, 92 secundi ordinis, 18 tertii ordinis, 6 quarti ordinis, 1 quinti ordinis), inclusa autem partibus enuntiati ex quo pendent sunt enuntiata secundaria 207 (185 primi ordinis, 18 secundi ordinis, 3 tertii ordinis, 1 quinti ordinis). Eam autem collocandi rationem, ut enuntiatum subordinatum habeat locum ante id enuntiatum unde pendet, quamquam postea magis magisque recepta est a scriptoribus latinis, iis temporibus quibus Catullus floruit, non tam usitatam fuisse ex eo intelligitur, quod in huius carminibus 90 tantum enuntiata secundaria sic sunt posita (86 primi ordinis, 4 secundi ordinis). Etiam rarior est ea ratio, quam legibus logicis contrariam esse iam supra exposuimus, ut enuntiatum subordinatum includat id enuntiatum, ex quo pendet; huius modi quattuor tantum loci apud Catullum exstant: 12, $_{14-17}$; 30, $_{4}$; 35, $_{1-6}$; 92, $_{2}$. Iam liceat haec brevi conspectu explicare.

Enuntiata secundaria	postposita	inclusa	anteposita	circumdata	in universum
primi ordinis	388	185	86	4	663
secundi ordinis	92	18	4	—	114
tertii ordinis	18	3	—	—	21
quarti ordinis	6	—	—	—	6
quinti ordinis	1	1	—	—	2
in universum	505	207	90	4	806

Ex his omnibus quae contulimus satis elucere nobis videtur, Catullum vel consilio vel motus consuetudine aetatis suae simplicitatem orationis servasse sive periodorum conformatio sive enuntiatorum collocatio respicitur, nam numerus periodorum magna arte compositarum, si comparatur cum permultis periodis simplicioribus, est minimus.

Hoc loco non ineptum esse videtur Catulli periodorum formas comparare cum Tibulli, qui non solum eo, quod paulo post Catullum floruit, sed permultis aliis de causis aptissimus est, quem cum Catullo componamus. Collegimus igitur eodem modo

quem adhuc exposuimus periodorum formas ex Tibulli carminibus. Haec autem sunt:

Periodi simplices	—	—	**144**
enuntiata secundaria primi ordinis	—	126	—
unum enuntiatum secundarium	83	—	—
complura enuntiata secundaria	43	—	—
enuntiata secundaria secundi ordinis . . . , .	—	17	—
enuntiata secundaria tertii ordinis	—	1	—

Periodi compositae	—	—	—	228
enuntiata secundaria primi ordinis	—	—	208	—
duo enuntiata primaria	—	125	—	—
unum enuntiatum secundarium .	80	—	—	—
complura enuntiata secundaria .	45	—	—	—
tria enuntiata primaria	—	49	—	—
unum enuntiatum secundarium .	30	—	—	—
complura enuntiata secundaria .	19	—	—	—
plura enuntiata primaria	—	34	—	—
unum enuntiatum secundarium .	24	—	—	—
complura enuntiata secundaria .	10	—	—	—
enuntiata secundaria secundi ordinis . . .	—	—	20	—

Quo autem modo Tibullus enuntiata secundaria usurpaverit, ex hoc parvo conspectu perspiciatur.

Enuntiata secundaria	postposita	inclusa	anteposita	circumdata	in universum
primi ordinis	367	146	70	5	588
secundi ordinis . . .	38	13	—	—	51
tertii ordinis	2	—	—	—	2
in universum	407	159	70	5	641

Quae si cum Catulli formis comparamus, elucet Catullum maiorem copiam periodorum composuisse quam Tibullum. Carmina et Catulli et Tibulli non multum inter se distant, si solus versuum numerus respicitur, fere duo milia uterque exhibet versuum. Catullus autem, qui plures habet versus quam Tibullus, tamen non tot habet enuntiatorum orbes quot Tibullus, Catulli enim sunt circa septingenti, Tibulli fere septingenti quinquaginta. In his sunt loci, ubi sola enuntiata primaria nullis secundariis adiectis exstant, apud Tibullum fere trecenti septuaginta, apud Catullum tantum ducenti octoginta. Periodi autem exstant apud Catullum circiter quadragintae, apud Tibullum circiter trecentae septuaginta. Videmus igitur Catullum magis quam Tibullum periodos amavisse et longiores enuntiatorum orbes composuisse.

Ex illa periodorum copia sunt periodi simplices apud Catullum 238, apud Tibullum 144, periodi compositae h. e. in quibus complura enuntiata primaria exstant, apud Catullum 160, apud dibullum 228. Tibullus igitur ut patet magis quam Catullus enuntiata primaria secundariis praeposuit et magis quam Catullus simplicitatem priorum temporum servarit. Hoc ita sese habere ex eo quoque elucet, quod Tibullus enuntiata secundaria quarti et quinti ordinis nusquam usurpavit et tertii quoque ordinis, quorum apud Catullum exstant 21, uno tantum loco qui est II, 2, 19—20. Periodi igitur Tibulli sunt non tam artificiose compositae quam Catulli et maior est simplicitas Tibulli in periodorum conformatione. Cum qua re hoc factum sit quaerimus, non difficile est dictu: Catullus enim in arte carmina componendi saepius Graecos secutus est; imprimis poetas Alexandrinos quos vocant, quorum periodi maxima arte sunt compositae, imitari studuit, quare periodi artificiosissimae et longissimae in iis carminibus exstant, quae ex Graecorum more composuit ut 62—68. Tibullus tamen hanc viam ingressus est nisi in carmine IV, 1, quo Messalam laudavit, atque ea de causa hoc in carmine etiam Tibullus longiores periodos composuit. Ceteris autem in carminibus ex Romanorum more simplicitatem servavit et artificiosam periodorum structuram evitavit. Catullus autem, qui priorum temporum simplicem usum multis quidem in rebus servavit, ab artificiosiore periodorum structura, quae paulo post magis magisque exculta est, non prorsus abhorret.

Quatenus Catullus periodos usu parataxis evitaverit.

Postquam in iis, quae antecedunt, quas periodorum formas Catullus usurpaverit tractavimus, nunc quatenus periodos parataxis usu evitaverit nobis videndum est. Quid sit parataxis explicare supervacaneum est, quia notio huius vocis satis est nota. At cum uno in libro summa diligentia et eximia sagacitate conscripto hoc vocabulum non eodem, quo plerumque fit, modo intelligatur, pauca nobis exponenda sunt, ne quis dubitet, quo modo in hac commentatione nostra ea vox sit usurpata. Georgius Wichert, cum in libri qui inscribitur „Die Lateinische Stillehre, ihren wichtigsten Momenten nach wissenschaftlich erläutert, Regiomont. 1856" capite secundo de parataxis usu ageret, eam pag. 241 hoc modo definivit: „Parataxis nennen wir diejenige Stellung, durch die zwei Worte oder zwei ihnen gleich zu achtende Ausdrücke des rhetorischen Nachdrucks wegen zu einander treten. Sie dient mithin zu lebhafterer Veranschaulichung des logischen Gegensatzes oder auch der logischen Übereinstimmung zweier Begriffe oder Gedanken und ist demnach von der Assonanz, Alliteration und anderen mehr cumulativen Erscheinungen zu unterscheiden." Ex hac definitione etiam singulae voces paratactice componi possunt. Sed per se patet sic hac in quaestione illam vocem non esse intelligendam. Cum enim quaeritur, quatenus periodi sint evitatae parataxis usu, haec vox nihil aliud significare potest quam consuetudinem enuntiata ita coniungendi, ut sint inter se paria. In libro illo, quem modo commemoravimus, agitur de parataxi non solum enuntiatorum, sed etiam singulorum vocabulorum, sive unius enuntiati sive complurium enuntiatorum partes sunt. Nobis autem agendum est de parataxi enuntiatorum ac videndum, quatenus Catullus sententias, quae non eandem vim habent, sed inter se sunt diversae, quarum altera alteri inservit vel explicandae vel praeparandae vel concludendae vel introducendae, ita expresserit, ut enuntiata inter se paria efficiantur. Nobis hac in re inquirendum est in interiorem enuntiatorum sententiam et videndum, utrum cum hoc consentiat constructio grammatica a Catullo usurpata annon consentiat. Wichert autem „collocationes" tantum paratacticas perscrutatus est, quare haec libri pars „Über parataktische Stellungen" inscribitur.

Periodus tum evitatur, cum ad alterum enuntiatum primarium additur alterum, nam ut supra docuimus enuntiatis solis

primariis periodus non efficitur. Saepe autem hoc fit, quamquam ea, quae exprimenda sunt enuntiato primario altero, talia sunt, ut multo aptius dicantur enuntiato secundario. Itaque primum nobis exponendum est, quatenus Catullus enuntiata primaria usurpaverit ac deinde, quibus in locis periodos evitaverit his enuntiatis primariis.

Permagnus exstat numerus locorum, in quibus enuntiata primaria sola secundariis non admixtis reperiuntur. Dixerit fortasse quispiam necessarium esse, ne quid ad expositionis integritatem desideretur, omnes hos locos singulos afferri, sed supervacaneum et longum nos quidem hoc esse censemus, praesertim cum facillimum sit ob simplicitatem structurae, si quis Catulli librum legendo celeriter percurrit, eos colligere. Sufficere nobis videtur numerum horum locorum et unum alterumve uniuscuiusque generis exemplum attulisse.

Persaepe unum tantum enuntiatum primarium secundariis non adiectis reperitur ut

8, 8: Fulsere vere candidi tibi soles.

Horum enuntiatorum centum quadraginta fere collegimus exempla, quorum multa brevissima sunt, ut

9, 5: Venisti.
40, 6: Quid vis?
61, 86: Flere desine.

alia autem complures versus explent ut

9, 1—4: Veranni, omnibus e meis amicis
Antistans mihi milibus trecentis
Venistine domum ad tuos Penates
Fratresque unanimos anumque matrem?

34, 17—20: Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuom
Rustica agricolae bonis
Tecta frugibus exples.

64, 8—10: Diva quibus retinens in summis urbibus arces
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexae texta carinae.

Deinde multis in locis duo enuntiata primaria coniunguntur ut

6, 4—5: Verum nescioquid *) febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.

---

*) Haec vox „nescioquid“, quae simili modo apud Catullum exstat 2, 6; 53, 1; 80, 5 nihil aliud est quam pronomen indefinitum, ut sit scriptum pro

30, 12: Quod tu neglegis, ac me miserum deseris in malis.
Huius modi exempla exstant nonaginta duo.

Eodem modo tria enuntiata primaria copulantur ut

4, 25—27: Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete seque dedicat tibi
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

ac praeterea tricies bis.

Quattuor quoque enuntiata primaria in unum ambitum coaloscunt ut

63, 85—86: Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo,
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.

Huius generis, si licet eos locos admunerare, in quibus ellipsis statuenda est ut

55, 3—5: Te campo quaesivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo summi Iovis sacrato.

62, 3—4: Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas,
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.

atque his similes, tredecim exstant exempla.

Etiam quinque enuntiata primaria copulantur ut

62, 62—64: Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est,
Tertia pars patri est, pars est data tertia matri,
Tertia sola tua est.

cui similia exstant quattuor exempla.

Tres invenimus locos, in quibus sex enuntiata primaria in unum ambitum copulata leguntur ut

64, 38-42: Rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis,
Non humilis curvis purgatur vinea rastris,
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram,
Non glaebam prono convellit vomere taurus,
Squalida desertis rubigo infertur aratris.

Ac bis coniunguntur septem enuntiata primaria ut

„aliquid“ vel „quidvis“. Accuratius de hoc dicendi usu disseruerunt: Becker, de syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores Latinos in „Studemund, Studien auf dem Gebiete des archaischen Lateins I, 1 Berlin 1873 pag. 230 sqq. — Draeger, Historische Syntax des lateinischen Sprache II pag. 460 sqq. — Simili modo etiam Goethius noster — liceat componere scriptoris vernaculae linguae verba cum hoc Catulli usu — dicit in Fausti partis II actu I (pag. 56—57 edit. Hempelianae):

„Aus luft'gen Tönen quillt ein Weißnichtwie,
Indem sie ziehn, wird Alles Melodie.“

64, 184—187: Praeterea nullo litus, sola insula, tecto,
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis:
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.

Hi sunt omnes ut arbitramur loci, in quibus enuntiata primaria sola copulantur connexione mere paratactica. Plura tamen quam septem enuntiata primaria in unum orbem coniuncta enuntiatis secundariis admixtis nullis apud Catullum non inveniuntur.

Iam nobis quaerendum est, quatenus Catullus periodos evitaverit parataxis usu, quod difficile est cognitu. Nam quis est qui dicat, cum duo enuntiata primaria coniuncta sunt, hoc loco alterum enuntiatum primarium ferri non posse, sed enuntiatum secundarium desiderari? Nonne Romanus fuit qui scripsit? Nonne Romani ipsi usum dicendi multo melius cognoverunt quam nostrum quisquam? Legimus apud Catullnm:

84, 7—8: Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures,
Audibant eadem haec leniter et leviter.

Etsi concedendum est hoc altero versu causam indicari, cur id, quod est in priore versu, sic sese habeat, ut summo iure Hertzbergius hos versus in nostram linguam converterit his verbis:

„Als er nach Syrien ging, da feierten sämmtliche Ohren,
Weil man sanft und bequem wieder die Worte vernahm"

tamen dicendum non est hoc loco coordinationem enuntiatorum perperam esse usitatam et annectendum fuisse enuntiatum posterius per particulam causalem. Sed negari non potest Ciceronem et fere omnes aureae aetatis scriptores — poetas tamen omitto — fere ubique enuntiata ita conseruisse, ut ex ipso connexionis genere facillime intelligi posset, quo modo singula enuntiata inter se cohaererent; priorum tamen scriptorum est proprium enuntiata parataxi componere, quare vobis videndum est, quantum Catulli ratio distet a scriptorum aureae aetatis consuetudine, quam viam etiam Draegerus (II pag. 213) commendat his verbis: Bei der Beurtheilung, ob eine coordinirte Satzverbindung statt einer subordinirten stehe, gehen wir von dem allgemeinen, namentlich aber vom klassischen Sprachgebrauche aus und notiren die Abweichungen davon. Daß in der Sprache des gewöhnlichen Lebens die bequeme Beiordnung der Sätze ebenso beliebt war wie in den neueren Sprachen, sehen wir aus den Komikern, den Briefen und einzelnen Aussprüchen, die uns überliefert sind. Durch griechischen Einfluß drang aber das Prinzip der Subordination, der Periodenbildung in die Schriftsprache, in die Sprache der vornehmen Welt und behielt für alle Zeiten das Übergewicht." Iis autem tem-

poribus, quibus Catullus floruit, nondum haec lex, sed prisca illa simplicitas valebat. Permulta igitur exstant loci, ubi enuntiatum primarium additur, quamquam aptius et accuratius dicendum erat enuntiatum secundarium. Collegimus igitur eos locos, ubi enuntiato primario exprimitur id, quod melius dicendum erat enuntiato secundario, nam his in locis evitatur periodus.

Permulti loci in Catulli carminibus exstant, in quibus enuntiato primario exponitur causa, cur id, quod altero enuntiato dicitur, sic sese habeat. Desideratur igitur enuntiatum secundarium causale quod vocant, sed nulla re indicatur, hoc enuntiatum primarium enuntiati secundarii causalis loco esse. Enuntiata huius modi, quibus indicatur causa, haec sunt:

6, 15—17: Quare, quicquid habes boni malique
Dic nobis: volo te ac tuos amores
Ad caelum lepido vocare versu.

8, 9; 12, 1—3; 15, 6—8; 16, 12—14; 17, 12: „Insulsissimus est homo nec sapit pueri instar“ cet., nam huius stultitia est causa, cur Catullus velit „eum ire praecipitem de ponte“; eodem modo causa, cur sit insulsissimus homo, cur non sapiat, explicatur versibus proximis: „Ludere hanc sinit ut lubet, nec pili facit uni cet.“ — 22, 10—11; 22, 15—17; 27, 7—9; 30, 12; 41, 5—7; 41, 7—8; 42, 1—5; 46, 1—6; 50, 21; 52, 2—4; 55, 1—5; 55, 13—14; 55, 18—20; 56, 3—4; 57, 3—5; 61, 76; 61, 121—122; 61, 191—192; 61, 211—215; 61, 226—227; 62, 1; 62, 3—4; 62, 9; 62, 16; 62, 17—18; 62, 59—61; 64, 186—187; 67, 19; 71, 5—6; 73, 1—3; 78, 5—6; 83, 1—3; 85, 2; 91, 9—10; 114, 1—4.

Etiam maior est numerus locorum eorum, in quibus parataxis invenitur ita, ut aliquo modo sit indicatum alterum enuntiatum primarium esse causam alterius. Plerumque hoc fit eo, quod additur particula „nam“ vel „namque“ vel „enim“ ad id enuntiatum, quo causa alterius explicatur.

Particula „nam“ causam indicat sic ut desideretur enuntiatum secundarium causale quod vocant, ad quod introducendum coniunctiones causales „quod, quoniam, quia, cum“ usurpari solent, his in locis:

3, 5: Quem plus illa suis oculis amabat:
Nam mellitus erat cet.

6, 12; 10, 26; 12, 14; 13, 7; 13, 11; 14, 16; 21, 5; 21, 7; 23, 7; 23, 27; 28, 11; 32, 9; 35, 6; 37, 10; 39, 16; 44, 10; 51, 5; 64, 299; 68, 86; 68, 117; 69, 7; 71, 4; 74, 5; 77, 9; 78, 3; 86, 3; 76, 5; 88, 5; 90, 2; 99, 5; 100, 5.

Simili modo enuntiatum primarium pro secundario causali dictum introducitur particula „namque“:

1, 3: Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas cet.

37, 9; 64, 288; 65, 5; 66, 65; 66, 71; 66, 85; 99, 3.

His addenda sunt pauca exempla, in quibus eodem modo particula „enim" usurpata est ut

12, 6: Crede Pollioni fratri: est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum.

35, 10.

Postremo unus locus nobis tractandus est, ubi particula „nimirum" invenitur:

62, 6—7: Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra.
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.

Haec particula „nimirum" causam affert, cur virginibus consurgendum sit, ut scribi possit „quia Noctifer iam Oetaeos ignes ostendit." Nam cum sapissime tum hoc quoque loco illud „nimirum" idem significat atque ceterae particulae causales, quamquam Handius (Tursellin. IV 203, 1 et 205, 5) exponit, eam particulam plerumque idem esse ac „sine dubio" vel „certe".

Hi sunt loci fere omnes ut opinamur, in quibus enuntiatum primarium est pro enuntiato secundario causali; fortasse nonnullis aliis in locis simili modo periodum evitatam esse docebit alius quis, at cavendum est, ne nimis haec quaestio urgeatur, ac metuimus, ne nos quoque hoc facere non satis evitaverimus, praesertim cum ex hac magna exemplorum copia satis superque cognosci possit Catullum saepissime coordinatione usum esse pro subordinatione. Nam cum causis afferendis haec permulta enuntiata primaria inserviant, numerus enuntiatorum secundariorum causalium multo est minor et coniunctiones illae, quae his introducendis inserviant, praeter particulam „quod", quae vicies circiter reperitur, inusitatissimae sunt apud Catullum. Haec sufficere nobis videntur de iis locis, ubi enuntiata primaria ita usurpata sunt, ut pro enuntiatis secundariis causam indicent.

Transeamus ad cetera enuntiatorum secundariorum genera, nam pro enuntiatis uniuscuiusque generis usurpata sunt apud Latinos enuntiata primaria, quod etiam Draegerus (Hist. Synt. II 213) exposuit his verbis: Es giebt im Latein keine Klasse der Nebensätze, statt deren nicht irgendwo eine Coordination nachweisbar wäre."

Enuntiatum primarium est loco enuntiati secundarii relativi:

10, 39: meus sodalis
Cinna est Gaius, is sibi paravit.

14, 20; 56, 6; 63, 90; 64, 256; 64, 292; 64, 307; 65, 29: Atque illud

prono praeceps agitur decursu", ubi ad illud prius enuntiatum relativum „Quod miserae oblitae ... excutitur" aptius addendum erat alterum enuntiatum relativum. Saepe fieri solet in comparationibus, ut pro enuntiatis secundariis scriptor addat enuntiata primaria, quibus comparatio ad finem perducitur ut 62, 42—44; 62, 53—55; 64, 108; 64, 273; 65, 4. Simili modo 69, 7: Hunc metuunt omnes" dictum est pro „quem omnes metuunt". Hoc usu pronominum demonstrativorum pro relativis permultis in locis factum est, ut quae in unam periodum coniungenda erant dissecata sint in plures periodos.

Pro temporali quoque enuntiato secundario reperitur enuntiatum primarium, ac saepissime quidem tempus indicatur particula „simul", qua enuntiata plerumque non subiunguntur, sed coordinata adduntur, quod Draegerus (II, 600) accuratius exposuit. Huc pertinent hi loci: 21, 5; 63, 13; 63, 19; 63, 27; 63, 31; 63, 45; 64, 31; 99, 7. Hos locos qui perspicuam coordinationem exhibent attulisse sufficit, sed non pauci alii sunt, in quibus simili modo usurpata est illa particula. Non solum tamen huius modi enuntiata pro enuntiatis secundariis tempus indicantibus exstant, sed etiam alia ut

15, 1: Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli. veniam peto pudentem*).

61, 6; 61, 201; 62, 13; 72, 1; 72, 5; 74, 1; 105, 1—2.

Enuntiata secundaria, quae consilium, propter quod aliquod fit (quae nos vocare solemus „Finalsätze") enuntiatis primariis evitata videntur his locis:

2, 9—10: Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi levare curas!

5, 1—3; 8, 11; 14, 18; 50, 19; 61, 97; 61, 109; 61, 120; 61, 181; 61, 198; 61, 211; 64, 195; 68, 45.

Fortasse licet huc referre etiam eos locos, ubi imperativo additur „age" vel „agite", ut 61, 26; 61, 36; 63, 12; 63, 78; 63, 81; 64, 372; 67, 7, nisi forte praestat has voces, quia „simplicem excitandi vel adhortandi vel concedendi vel corripiendi significationem exhibent" (Hand, Turs. I, 203 sqq. — Draeger, I 325) et earum verbalis natura prorsus negligitur, interiectionum loco habere.

Concessiva quae dicitur vis inest enuntiatis primariis his:

5, 4: Soles occidere et redire possunt.

---

*) Hoc loco non tempus solum, sed causa quoque exponitur enuntiato primario aeque ac fit: 62, 1—2; 62, 4—5; 62, 18: 72, 1; 72, 5; 74, 1.

6, 5; 10, 21; 16, 5; 17, 2; 22, 20; 24, 8; 26, 1—3; 61, 141; 86, 2; 76, 13—14; 92, 1; 92, 3; 113, 3; 115, 7.

Etiam consecutivum vel causativum enuntiatum secundarium evitavit Catullus enuntiatorum primariorum parataxi ut:

5, 10: Dein conturbabimus,

quod est pro „ut conturbemus"; 8, 12; 33, 7; 37, 4; 39, 9; 61, 131; 61, 221; 64, 185; 64, 246; 64, 302; 64, 407; 68, 15.

Etiam in iis locis, ubi duo enuntiata primaria per particulas „aut — aut" connectuntur, periodus evitatur, nam hoc modo exprimitur, nisi alterum fiat, sine dubio alterum fiat necesse esse, ut: 12, 10; 69, 9—10; 103, 3—4.

Nonnullis in locis etiam conditionem exponit enuntiatum primarium ut:

17, 7: Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.

32, 1*); 42, 21; 58, 12; 61, 94.

His parataxis generibus sunt addenda haec exempla 3, 15: „abstulistis" pro „quod abstulistis"; 14, 13—16; 83, 1; 84, 5—6. Hoc loco desideratur constructio accusativi cum infinitivo, ut periodus parataxi non evitetur, nam constructionem accusativi cum infinitivo non esse enuntiatum supra demonstravimus. Tamen hunc locum attulisse voluimus, quia nostra in lingua accusativus cum infinitivo enuntiato secundario redditur. Hac de causa etiam Draegerus (II 213) similia exempla contulit. Huic loco, ubi desideratur constructio accusativi cum infinitivo simillimus est 80, 7: „Sic certe est: clamant", quod scriptum est pro „sic certe esse clamant."

De usu vocis „quaeso", quam habemus 10, 25 et 103, 3, nihil nobis dicendum est, quia eodem modo a Catullo atque a ceteris scriptoribus latinis usurpata est.

Fortasse si Draegerum (II 218) sequi licet huc referenda sunt etiam exempla haec: 61, 196—199 et 66, 18.

Saepe etiam interrogatio directa quae vocatur per parataxin sequitur ea verba, ex quibus apud alios scriptores interrogatio

---

*) Haec vox „amabo" vel „amabo te" sine dubio proprie fuit verbum et hi versus 1—3 exprimunt: „Amabo te, si iubes —". Sed saepe atque imprimis apud comicos simili modo dicitur ac „quaeso, obsecro, oro, precor", ut interiectionis vim habeat, quare Doeringius non iniuria ad hunc locum annotat: „Saepe haec blandientis particula obvia est apud Comicos." Etiam a Cicerone scripta est haec vox in epistolis (ad Att. II, 7, 3), ut facile sit perspectu, hunc usum esse sumptum ex communis sermonis consuetudine, quam Ciceronem in epistolis aeque atque comicos imitatum esse satis constat.

obliqua pendere solet, imprimis verba dicendi et videndi, ut 6, 16; 55, 19; 61, 77; 61, 99; 62, 8; 62, 12; 76, 21. De hoc parataxis usu dicit Draegerus (I 333) haec: „Die directe Frage steht zuweilen da, wo man wegen des voraufgehenden Imperativs eines Verbums, welches Sagen oder Sehen bedeutet, die indirecte Frageform erwartet. — Am gebräuchlichsten waren diese Sätze in der Sprache des geselligen Verkehrs, weshalb die Komiker sie besonders oft anwenden.“ Iam supra saepius diximus non multum interesse inter Catulli consuetudinem dicendi et comicorum. Hoc ita sese habere etiam ex interrogationum directarum usu facile perspicitur. Permagnus enim est numerus interrogationum directarum in comicorum sermone et ex iis dilucide cognoscitur, quantum parataxin subordinationi praeposuerint scriptores prisci.*) Idem in Catulli carminibus usus est: exstant enim interrogationes directae circiter centum viginti, quas longum est afferre singulas.

Nonnullis in locis interrogatio exstat, quibus interrogatione non opus est; nam poeta ipse statim explicat, quo modo sese habeat id, quod dubium esse ei videbatur, ut interrogare cogeretur. Plerumque hoc fit in primis carminum versibus, ut lectorum vel auditorum animos poeta reddat attentiores hac interrogandi ratione, eosque paucis doceat, quae sibi sint exponenda illo carmine. Hoc quoque modo ea, quae in unum orbem erant coniungenda, dissecantur, ut duo vel plura enuntiata primaria per se posita exstent ut: 1, 1; 9, 1; 24, 7; 77, 1—4; 77, 5; 88, 3; 88, 4; 100, 5.

Saepe poeta noster periodos evitavit eo, quod complures interrogationes directas inter se vel unam interrogationem directam cum uno enuntiato primario coniunxit paratactice, quamquam alterum cogitatum alteri est subordinatum, ut aptius usus esset hypotaxi enuntiatorum. Haec sunt huius usus exempla: 10, 32; 14, 1—4; 16, 12; 38, 4—5; 38, 6; 55, 13—14; 62, 6, quae exhibent vim causalem. — Vis conditionalis inest in his: 12, 4; 12, 6; 29, 9. — Vis relativa in his: 61, 46; 61, 48; 62, 24; 62, 30. — Interrogatio indirecta desideratur: 52, 1; 52, 4. — Enuntiata consecutiva desiderantur: 23, 15; 29, 15; 45, 25—26; 61, 64; 61, 69; 61, 74; 107, 8—9. — Uno in loco 28, 4 vis temporalis hoc modo exprimitur, vis concessiva in his: 29, 21; 47, 6—7; 97, 9 10. — Horum unum, quod agmen claudat, explicemus paucis exemplum

*) Cf. Draeger, hist. Synt. II, 461: eigentlichen Fragesätzen, welche eine Antwort des Angeredeten verlangen. Sie sind in der Sprache der Komiker ungemein zahlreich .... In ihnen ist die Vorliebe zur Parataxe deutlich angezeigt.

ex carmine 52 sumptum. Bis, et in primo et in quarto versu legitur:

Quid est, Catulle? quid moraris emori?

Sed ut per se patet hoc loco multo aptius scribi poterat:

Quid est, Catulle, cur emori moreris?

Haec sunt exempla, in quibus Catullus periodos evitavit parataxis usu, ac videmus, non raro illum usurpasse enuntiata primaria coordinata pro enuntiatis subiungendis.

Iam addenda sunt exempla, in quibus poeta enuntiata secundaria paratactice coniunxit, quamquam altera sententia alteri explicandae vel introducendae inservit et hac de causa subiungendum erat enuntiatum secundarium enuntiato secundario superioris ordinis. Hos locos, in quibus periodi non evitantur illae quidem, sed periodi simpliciores exstant pro artificiosioribus, commemorasse voluimus, ne quid ad integritatem quaestionis desideretur; sunt hi: 7, $_{9-12}$ et 81, $_{6-7}$, quorum numerus fortasse nonnullis aliis exemplis augeri potest.

Transeamus iam ad proximum caput nostrae dissertationis, quo exponendum erit, quatenus Catullus periodos evitaverit usu participiorum.

Quatenus Catullus periodos usu participiorum evitaverit.

Permulta participia natura verbali prorsus neglecta abiectaque ita usurpari solent, ut nomina adiectiva esse videantur. Saepissime hoc fieri ex eo cognoscitur, quod non pauca participia sunt, quae a veteribus scriptoribus iam adiectiva esse putabantur, nam ubique sic usurpata sunt, ut natura verbalis omnino non respiciatur ac vix animadverti possit, ut „sapiens, diligens, beatus, altus“ similia. Huius generis etiam in Catulli carminibus copia est magna; quamquam concedendum est unumquodque horum participiorum enuntiato sive relativo sive alio circumscribi posse aeque atque omne nomen adiectivum, tamen dicere non licet his participiis evitatas esse periodos. Uno exemplo hoc demonstrabimus. Legimus in Catulli primo carmine ineunti:

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arido modo pumice expolitum?

Sine dubio etiam „qui arido pumice modo expolitus est“ scribi potuit: sed hoc enuntiatum relativum multo minus est aptum

quam participium. Neque enim poetae in animo est enarrare, quid sit factum neque est ullius momenti, quibus rebus libellus ad hanc elegantiam perductus sit, sed Catullus explanare studet, qualis sit libellus. Quod ut exponat, eum dicit esse „novum — lepidum — expolitum.“ His vocabulis aptissime describit libellum atque servat concinnitatem, quae omnino esset deleta, si illud unum dictum esset enuntiato relativo, cum illa duo priora nominibus adiectivis explicata essent. De his participiis pro nominibus adiectivis usurpatis scripsit, ac melius, ut nos quidem opinamur, quam ceteri grammatici, quorum libros inspeximus, G. W. Gossrau (Lateinische Sprachlehre, Quedlinburg 1869, § 445, 5 pag. 525), apud quem legimus: „Solche Participia namentlich können Adjectiva werden, 1) deren Verba selbst eine Eigenschaft bezeichnen (floreo, florens); 2) deren Verba eine solche Handlung bezeichnen, welche a) durch Wiederholung eine Eigenschaft begründet (diligo, diligens) oder b) durch Vollendung der Thätigkeit.“ Haec tria genera in Catulli quoque carminibus exstant. Primi generis affero haec: 2, 5 nitenti; 29, 6 superfluens; 31, 2 liquentibus; 34, 10 virentium; 61, 207 micantium; 63, 39 radiantibus; 64, 14 candenti; 64, 44 fulgenti; 64, 65 lactentis alia. — Secundi generis haec attulisse sufficiat: 10, 35 negligentem; 25, 5 oscitantes; 60, 2 latrans; 64, 114 cupiens; 64, 209 constanti; 64, 396 praesens; 68, 101 properans. — Paene innumera est multitudo participiorum tertii generis, e quibus haec tantum affero: 1, 1 expolitum; 1, 7 doctus; 8, 5 amata; 10, 22 tractum; 31, 7 solutis; 31, 9 fessi; 55, 18 clauso; 62, 36 ficto; 64, 42 desertis; 64, 126 praeruptos; 64, 135 devota; 64, 258 tortis; 64, 400 exstinctos; 66, 79 optato; 68, 62 exustos; 68, 72 trito; 68, 108 abruptum; 80, 7 rupta; 96b, 7 defessus.

Sed haec hactenus de participiorum usu adiectivo, hac enim in quaestione, ut supra exposuimus, huius generis participia nullius momenti sunt.

De iis quoque participiis, quae usurpata sunt pro substantivis, paucis tantum disseruisse sufficit, quia iam Gustavus Overholthaus (syntaxis Catullianae capita duo. Papenburgi 1875 pag. 9 sqq.) hac de re egit secutus et Naegelsbachium et Draegerum. Omisit tamen nonnulla participia huc spectantia, quae hoc loco afferantur:

1. Masculini vel feminini generis.

A. Participia temporis praesentis.

12, 3 negligentiorum.

62, 63 adolescens.

64, 258 serpentibus.

B. Participia temporis perfecti.
36, 11: creata.
65, 25: sponsi.

2. Neutrius generis.

A. Participia temporis praesentis.

B. Participia temporis perfecti.
34, 20: tecta = 64, 37; 64, 75; 64, 115; 64, 184; [64, 246; 64, 276.
63, 7: scripta = 44, 18.
54, 3: peditum.
62, 12: meditata.
64, 10: texta.
64, 159: praecepta.
64, 209: mandata = 64, 214; 64, 232; 64, 238.
64, 328: optata.
66, 74: condita.
80, 6: tenta.
76, 1: benefacta.
110, 6: data.

Sed haec hactenus de iis participiis, quae sunt pro nominibus et adiectivis et substantivis.

Iam transeamus ad tertii generis participia, quae naturam verbalem servaverunt et usurpata sunt pro enuntiatis. Non raro fit, ut participia huius generis duplici modo explicari possint. Sic

64, 132: Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Thesen?

vel tempus indicatur: „postquam me abduxisti" illo participio „avectam". vel pro enuntiato est scriptum concessivo: „quamquam me duxisti", aeque ac

64, 143: Tum iam nulla viro iuranti femina credat

illud „iuranti" duplicem habet vim et temporalem et concessivam. Participium illud quod exstat 68, 140 „noscens" simili modo duplicem vim et notionem habet; nam explicari potest aut ita, ut tempus indicet „cum noscit" vel „quotiescunque noscit", aut ita, ut causam exponat, cur Juno saepe irata fuerit, „quia noscit furta Jovis." Quae cum ita sint, nonnulla participia, quae sive hoc sive illo modo intelligi possunt, compluribus locis afferre nobis licet, quia nemo est, qui dicere possit, quid Catullus his participiis unoquoque loco exprimi voluerit. Iam nostrum est exponere quatenus Catullus periodos evitaverit participiorum usu, omnia autem participia colligenda putavimus quibus enuntiata sive secundaria

sive primaria evitata sunt. Contulimus igitur etiam ea participia, quae sunt pro enuntiatis primariis, quamquam non ignoramus periodum non effici enuntiatis primariis solis, quare his in locis periodus evitata non est. Saepe autem fit, ut cum duae res enarrantur, quae ad totum carminis consensum atque concertum explicandum eiusdem sint momenti, altera prrticipio exprimatur, altera enuntiato primario. Quod si factum est, sine dubio hoc participio evitatur enuntiatum primarium. Huius generis magnus numerus in Catulli carminibus exstat. Legimus

3, 6: Nam mellitus erat suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem,
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc modo illuc
Ad solam dominam usque pipilabat.

Desideratur autem: „Nam mellitus erat — et norat — nec sese movebat — sed circumsiliebat — et pipilabat", quia his quinque verbis pariter exponitur, cur Lesbia passerem plus oculis suis amaverit neque hoc unum verbum circumsiliendi minoris momenti est quam cetera; minoris autem momenti esse videtur, cum participium usurpatur, quod horum enuntiatorum uni alterive explicando inservit. Alii loci, in quibus participium est pro enuntiato primario, hi sunt: 8, 19 destinatus; 9, 8 applicans; 30, 6 inducens; 35, 10 iniiciens; 61, 12 concinens; 61, 26 ferens; 61, 33 revinciens; 61, 102 deditus; 61, 103 persequens; 63, 9 quatiens; 63, 85 adhortans; 64, 15 admirantes; 64, 58 fugiens; 64, 59 linquens; 64, 69 curans; 64, 104 promittens; 64, 107 contorquens; 64, 109 frangens; 64, 155 conceptum; 64, 224 foedans; 64, 253 quaerens; 64, 366 complexa; 64, 276 linquentes; 64, 279 portans; 64, 292 contexta; 64, 299 relinquens; 64, 307 complectens; 64, 312 deducens; 64, 313 torquens; 64, 315 decerpens; 64, 345 obsidens; 64, 353 decerpens; 64, 359 angustans; 64, 382 praefantes; 64, 387 revisens; 66, 36 captam; 66, 54 tollens; 66, 65 contingens; 67, 39 suffixa; 68, 107 absorbens; 77, 3 perurens; 76, 21 surrepens; 108, 4 execta; 108, 5 effossos; 116, 8 fixus.

Ac simili modo participium additur ad enuntiata secundaria, quamquam desideratur alterum enuntiatum secundarium, quod alteri coordinari poterat. Hoc fit his locis: 11, 18 complexa; 17, 20 sentiens; 25, 11 inusta; 50, 12 cupiens; 61, 171 accubans; 61, 218 porrigens; 63, 51 relinquens; 63, 75 referens; 64, 13 torta; 64, 68 delapsa; 64, 118 linquens; 64, 121 vecta; 64, 124 furentem — tollentem — cientem; 64, 203 exposcens; 64, 214 complexum; 64, 235 intorti; 64, 293 velatum; 64, 392 ruentes; 66, 5 relegans; 68, 103 gavisus.

Deinde ea collegimus participia, quae substantiva ea, quibus adiunguntur, accuratius explicant et exponunt, ut sint pro enuntiatis relativis. Hoc de iis quoque participiis dici potest, quae adiectivi naturam induerunt. Sed illa omisimus neque cetera omnia afferimus, sed ea tantum, quae pro enuntiatis relativis usurpata esse facile cognoscuntur. En habes horum participiorum exempla: 8, 5 amata; 17, 3 stantis; 17, 12 dormientis; 34, 14 dicta; 40, 3 advocatus; 59, 4 devolutum; 61, 17 colens; 61, 21 enitens; 61, 103 adsitas; 61, 161 movens; 61, 187 cognitae; 62, 2 exspectatae; 63, 33 vitans; 63, 70 amicta; 64, 1 prognatae; 6 , 8 retinens; 64, 22 nati; 64, 25 aucte; 64, 48 politum; 64, 50 variata; 64, 64 velatum; 64, 87 expirans; 64, 94 exagitans; 64, 98 suspirantem; 64, 111 iactantem; 64, 119 deperdita; 64, 175 celans; 64, 192 multantes; 64, 193 redimita; 64, 217 reddite; 64, 227 obscurata; 64, 231 condita; 64, 265 decorata; 64, 295 gerens; 64, 311 amictum; 64, 324 augens; 64, 362 reddita; 65, 1 confectum; 65, 20 gemens; 65, 20 absumpti; 65, 25 missum; 65, 27 oblitae; 67, 13 factum; 68, 2 conscriptum; 68, 3 eiectum; 68, 20 adempte; 68, 63 iactatis; 68, 67 clausum; 68, 75 inceptam; 68, 91—92 ademptum — adempte; 68, 146 dempta; 77, 1 credite; 76, 1 recordanti; 96, 4 missas; 101, 6 adempte.

Nonnulla horum participiorum sic quoque intelligi posse concedimus, ut sint nomina adiectiva, quia non multum interest inter adiectivum et relativum enuntiatum, si explicando substantivo additur. Non pauca vero horum aptius sine dubio enuntiato relativo circumscribenda erant, praesertim ea, quae non satis perspicue tempus significant ut 64, 64: velatum = quod antea velatum erat; 64, 175: celans = qui tum celabat; 64, 231: condita = quae nunc conduntur; 68, 67: clausum = qui antea clausus erat; 64, 339: notus = qui notus erit. Tamen saepe consilio ac ratione poeta participiis usus esse videtur, ne enuntiata relativa nimis coacervet, ut 64, 48—49: politum — tincta; 64, 192—193: multantes — redimite. Mirum autem in modum 64, 94: exagitans scripsit, quamquam proximus versus exhibet enuntiatum relativum: „qui misces“.

Enuntiatum causale evitatur participio his locis: 6, 8 fragrans; 44, 16 refectus; 45, 19 profecti; 59, 4 prosequens; 61, 11 excitus; 63, 3 redimita; 63, 4 stimulatus; 64, 5 optantes; 64, 13 torta; 64, 42 desertis; 64, 70 perdita; 64, 72 serens; 64, 165 auctae; 64, 177 perdita; 64, 190 prodita; 64, 208 consitus; 64, 245 credens; 64, 253 incensus; 64, 405 permixta; 66, 51 abiunctae; 80, 7 rupta; 80, 8 notata; 76, 9 credita; 96, 4 missas.

Conditionalis vis in participiis multo varius inest atque ex

Catulli libro vix unum exemplum (21, 7 instruentem) afferre possumus, quia ubique participia quae huc referri possint, etiam tempus indicant, ut pro enuntiato temporali esse videantur; nam proprium est participiorum tempus significare.

Primo loco contulimus participia temporis praesentis, quibus tempus accuratius indicatur, quae in nostram linguam convertenda sunt per particulas „als, indem, während, da". Haec sunt: 2, 3 adpetenti; 34, 18 metiens; 35, 3 relinquens; 35, 9 euntem; 45, 2 tenens; 45, 11 reflectens; 50, 4 scribens; 50, 6 reddens; 51, 4 sedens; 53, 4 admirans; 53, 4 tollens; 55, 11 reducens; 56, 6 trusantem; 61, 9 gerens; 61, 41 audiens; 61, 54 timens; 61, 129 audiens; 62, 34 revertens; 62, 51 deflectens; 63, 7 maculans; 63, 13 petentes; 63, 48 visens; 63, 76 resolvens; 63, 77 stimulans; 64, 7 verrentes; 64, 10 coniungens; 64, 52 prospectans; 84, 84 nitens; 64, 104 promittens; 64, 107 contorquens; 64, 113 regens; 64, 114 egredientem; 64, 123 discedens; 64, 134 discedens; 64, 143 iuranti; 64, 149 versantem; 64, 162 consternens; 64, 163 permulcens; 64, 183 incurvans; 64, 210 sustollens; 64, 238 cernens; 64, 242 absumens; 64, 249 aspectans; 64, 255 bacchantes; inflectentes; 64, 270 horrificans; 64, 275 nantes; 64, 287 linquens; 64, 297 pendens; 64, 305 quatientes; 64, 320 pellentes; 64, 332 substernens; 64, 369 succumbens; 64, 376 revisens; 64, 403 substernens; 65, 9 moriens; 66, 10 protendens; 66, 13 portans; 66, 29 mittens; 66, 53 impellens; 66, 89 tuens; 68, 21 moriens; 68, 49 texens; 68, 64 aspirans; 68, 73 flagrans; 68, 123 tollens; 68, 140 noscens; 90, 6 liquefaciens; 96^{b}, 8 meientis.

Etiam perfecti temporis participia ita sunt usurpata, ut significent tempus praesens ut 15, 8 occupati; 25, 13 deprensa; 63, 15 executae; 63, 32 comitata; 64, 181 secuta; 68, 1 oppressus; 68, 73 innixa, alia. Simili modo participium praesentis temporis significat tempus perfectum: 116, 1 requirens.

Plerumque tamen ad tempus perfectum denotandum participia perfecti temporis usurpata sunt ut his in locis: 17, 19 suppernata; 21, 13 inrumatus; 28, 7 secutus; 31, 9 fessi; 32, 10 pransus; 44, 16 refectus; 45, 12 saviata; 50, 8 incensus; 57, 5 impressae; 62, 43 carptus; 63, 1 vectus; 63, 58 remota; 64, 56 excita; 64, 66 delapsa; 64, 74 egressus; 64, 108 exturbata; 64, 116 digressus; 64, 122 devinctam; 64, 132 avectam; 64, 153 mortua; 64, 239 pulsae; 64, 246 ingressus; 64, 272 pulsae; 64, 283 plexos; 64, 296 restrictus; 65, 8 ereptum; 66, 11 auctus; 66, 21 deserta; 66, 37 reddita; 67, 32 suppositum; 68, 1 oppressus; 68, 48 mortuus; 68, 73 innixa; 68, 98 compositum; 68, 99 sepultum; 68, 121 inventus; 68, 149 confectum; 101, 1 vectus.

Pro enuntiato concessivo legitur participium his in locis: 11, $_{19}$ amans; 11, $_{20}$ rumpens; 31, $_{5}$ credens; 37, $_{12}$ amata; 41, $_{1}$ defututa; 46, $_{10}$ profectos; 62, $_{22}$ retinentem; 64, $_{143}$ iuranti; 64, $_{181}$ respersum; 64, $_{238}$ tenentem; 68, $_{39}$ petenti.

Etiam vim finalem exhibent participia nonnulla ut 36, $_{8}$ ustulanda; 64, $_{152}$ dilaceranda; 76, $_{4}$ fallendos; 64, $_{287}$ celebranda. Fortasse licet tria participia temporis praesentis huc referri, quae sunt usurpata pro participiis temporis futuri: 11, $_{10}$ visens; 63, $_{77}$ stimulans; 64, $_{173}$ ferens.

Rarissimi sunt loci, in quibus participium est pro enuntiato consecutivo ut 64, $_{63}$ retinens; 64, $_{64}$ contecta; 64, $_{65}$ vincta.

His participiis coniunctis quae vocantur pertractatis addantur ablativi absoluti, qui apud Catullum leguntur. Numerus eorum magnus non est, nam tredecim participia praesentis (15, $_{18}$ patente porta; 61, $_{64}$ = 61, $_{69}$ = 61, $_{74}$ te volente; 63, $_{43}$ trepidante sinu; 63, $_{47}$ animo aestuante; 64, $_{185}$ cingentibus undis; 64, $_{271}$ exoriente Aurora; 64, $_{274}$ crescente vento; 64, $_{376}$ oriente luce; 64, $_{393}$ fumantibus aris; 66, $_{20}$ invisente viro; 83, $_{1}$ praesente viro) et viginti unum participia perfecti (15, $_{18}$ attractis pedibus; 62, $_{24}$ capta urbe; 62, $_{35}$ mutato nomine; 62, $_{45}$ polluto corpore; 63, $_{67}$ orto sole; 64, $_{31}$ finito tempore; 64, $_{110}$ corpore domito; 64, $_{135}$ neglecto numine; 64, $_{370}$ summisso poplite; 64, $_{386}$ spreta pietate; 64, $_{391}$ crinibus effusis; 66, $_{25}$ sensibus ereptis; 66, $_{81}$ reiecta veste; 67, $_{6}$ porrecto sene; 68, $_{80}$ amisso viro; 68, $_{84}$ abrupto coniugio; 68, $_{110}$ emulsa palude; 68, $_{111}$ caesis medullis; 84, $_{7}$ hoc misso; 88, $_{8}$ demisso capite; 113, $_{3}$ facto consule) hoc modo usurpata sunt. Quibuscum non confundenda esse apparet ea participia, quae adduntur ad substantivorum casus ablativos ut 4, $_{12}$ loquente coma. Ex his vero ablativis, quorum permagna copia exstat, illam constructionem quam vocamus ablativorum absolutorum ortam esse perfacile intelligitur, si locos, quales sunt 62, $_{45}$; 66, $_{81}$; 68, $_{80}$ contuleris.

Sed haec hactenus de participiorum usu Catulliano. Videmus permulta participia a Catullo esse usurpata ac non raro magnum eorum numerum in parvum orbem esse coacervatum. Tamen nusquam haec coacervatio tanta est, ut perspicuitas minuatur vel laedatur suavitas dictionis, sed ubique apta variatione poeta usus est. Permultis in locis periodi evitatae sunt participiorum usu, sed tamen nusquam usus Catullianus recedit ab usu scriptorum aureae aetatis, nusquam usus participiorum offensioni est, nam eadem genera, quae supra disposuimus, apud scriptores latinos omnium temporum inveniuntur. Non tamen omnibus in carminibus

eodem modo participia usurpantur, sed multo frequentior est usus in carminibus 62—68, quibus Catullum Alexandrinos imitatum esse constat. Quamquam ii qui de Catullo Graecorum imitatore egerunt hanc rem non tetigerunt, tamen hanc participiorum cumulationem in his carminibus puto ortam esse ex eo, quod epitheta innumerabilia, quibus sermo Graecus abundat, hoc solo modo in latinam linguam convertere potuit Catullus. Sed tempus non est hoc loco accuratius explicare hanc rem. Sufficiat statuisse his in carminibus multo plura participia exstare quam in ceteris.

Quatenus Catullus asyndeta admiserit.

De asyndeti natura et usu permulti homines docti, quamquam disertissime et acutissime omnia quae huc spectant pertractaverunt, omnino non consentiunt. Draegerus qui copiose de hoc Latinorum dicendi usu disseruit, parum perspicue disposuit ea, quae ad explicandam rem contulit, quod idem de Wicherti expositione dicendum est. Neque Gustavus Bromig (de asyndeti natura et apud Aeschylum usu. diss. inaug. Gotting. 1879), qui Dissenii, Godofredi Hermanni, Naegelsbachii rationes inter se comparatas percensuit, rem melius explicavit, nam cum a veterum definitionibus solis proficiscendum esse putaret, rectam viam non iniit. Omnium optime, ut nos quidem opinamur, Naegelsbachius et quae esset asyndeti natura explicavit et varia asyndeti genera distinxit. Liceat igitur, quamquam non negamus etiam alios non pauca addidisse, quibus asyndeti natura et usus accuratius exponantur, hac in quaestione sequi dispositionem Naegelsbachii.

Hic duo asyndeti genera discernenda esse dicit; alterum quod asyndetum verum vel proprium vocat efficitur, cum coniunctiones, quibus enuntiata singula componi solent, emittuntur, ut omnia quae narrantur uno eodemque tempore facta esse videantur, ut notissimo illo Caesaris „veni, vidi, vici.“ Hoc asyndetum verum vel proprium in eis quoque locis exstat, ubi poeta accuratius depingit, quanta celeritate singula facta sint, etiam si non uno eodemque tempore facta sunt, quod Naegelsbachius pag. 563 exposuit his verbis: „Sehr häufig dagegen sind, besonders bei den Historikern, Schilderungen, in welchen das Asyndeton zwar nicht die Wirkung hat, mehrere Handlungen für die Vorstellung in einem Moment zu concentriren, aber doch den Drang, den raschen Verlauf der Begebenhei-

ten malt. Das Geschehene rückt für die Phantasie in demselben Maße aneinander, in welchem sich die erzählenden Sätze aneinanderreihen.“ Huius asyndeti exempla ex Catulli carminibus pauca tantum afferre possumus: 21, 5–6; 51, 8; 63, 27–30; 63, 37–38; 63, 42; 63, 85–86; 63, 89; 64, 35.

Alterum asyndeti genus tum exstat, cum enuntiata singula omissis coniunctionibus componuntur, sed sententiae satis arcte connexae sunt, ut coniunctiones addere neque necesse sit neque addi possint. Sententia autem inter se enuntiata singula conectuntur, cum alterum quod additur alterum explicat aut alterum alteri opponitur.

Priore loco ea tractabimus asyndeta, in quibus enuntiatum quod additur coniunctionibus omissis explicat ea quae antecedunt, quare haec explicativa vocantur. En habes exempla: 3, 1; 3, 13; 4, 13; 6, 5; 8, 12; 12, 1; 12, 16; 14, 17; 15, 6; 30, 9; 34, 1; 37, 3; 39, 17; 41, 7; 41, 8; 42, 15; 42, 21; 50, 1; 50, 21; 55, 18; 56, 3; 61, 81; 61, 86; 61, 121; 61, 131; 61, 181; 61, 191; 61, 201; 61, 231; 62, 13; 62, 15; 62, 59; 62, 62; 67, 18; 68, 17; 68, 24; 69, 5; 91, 9.

Iam sequantur asyndeta adversativa quae vocantur: 5, 4; 6, 15; 15, 1; 16, 5; 27, 5; 33, 2; 61, 136; 68, 35; 71, 6; 83, 1; 86, 2; 92, 2; 105, 1.

Permulta exstant asyndeta enumerativa. Saepe haec usurpantur in oratione commota et concitata, sed non omnibus in locis, ubi hoc asyndeton invenitur, oratio est gravis et commota, sed tum quoque usurpatur, cum lente ac leviter fluit oratio. Singula vocabula hoc modo componuntur:

Nomina: 1, 1–2; 5, 7–10: 14, 18; 17, 16; 22, 6; 23, 9; 28, 1; 35, 1; 36, 1; 38, 3; 46, 11; 47, 1–2; 57, 6–9; 62, 40; 63, 4; 63, 40; 64, 58; 64, 255; 64, 311. Nonnullis in locis exstat asyndeton, sed sub finem enumerationis coniunctiones contra usum communem adduntur ut 22, 6; 63, 60; 114, 3; 116, 5.

Verba ac saepissime quidem imperativi: 8, 11; 31, 13; 55, 15; 61, 7; 61, 26; 61, 38; 61, 76; 61, 121; 61, 200; 63, 12; 63, 18; 63, 78; 63, 81; 63, 93; 64, 23; 64, 195; 64, 372. Hoc de usu imperativos coniungendi Draegerus egit II 27 sq. et II 198 sqq., sed ex iis, quae contulit, elucet non satis constare, utrum certam rationem secuti sint scriptores Latini annon sint. Catullus etiam in hac re a consuetudine scriptorum aetatis aureae non abhorret, nam apud hos idem usus saepissime invenitur. Hi loci etiam sic explicari possunt, ut non singula verba, sed enuntiata singula ἀσυνδέτως sint composita. Cetera huius asyndeti exempla haec

sunt: 1, 8; 2, 2; 8, 15; 9, 5; 10, 6; 15, 18; 17, 21; 23, 7; 23, 16; 28, 4; 29, 1; 29, 17; 37, 11; 39, 2; 39, 3; 39, 6; 40, 1–6; 42, 1; 43, 6; 45, 20*); 45, 21; 45, 25; 46, 1; 46, 4; 46, 7; 47; 51, 1; 51, 12; 52, 1; 52, 2; 52, 4; 55, 3; 61, 47; 61, 51; 62 1; 62, 3; 62, 6; 62, 7; 62, 9; 62, 11; 62, 18; 62, 28; 62, 41; 62, 44; 62, 45; 62, 50; 62, 53; 62, 55; 62, 56; 63, 21; 63, 63; 63, 64; 63, 65; 63, 69; 63, 70; 63, 71; 63, 72; 63, 73; 64, 19; 64, 28; 64, 32; 64, 34; 64, 38; 64, 44; 64, 99; 64, 117; 64, 133; 64, 139; 64, 146; 64, 148; 64, 154; 64, 172; 64, 186; 64, 257; 64, 280; 64, 327 (et hoc idem saepius) 64, 328; 64, 334; 64, 358; 64, 373; 64, 400; 65, 9; 65, 15; 65, 17; 66, 1; 66, 3; 66, 23; 66, 29; 66, 75; 68, 15; 68, 21; 68, 94; 73, 3; 83, 5; 87; 76, 13; 76, 15; 88, 1; 94; 95, 5; 98, 6; 109, 5; 110, 2. Perfacile cognoscitur ex his exemplis, quanta sis copia asyndetorum in Catulli carminibus.

Restat ut asyndeton summativum paucis explicemus. Hoc efficitur aut adiectivis „cuncta, omnia, cetera" similibus, sive postponuntur ut 11, 13; 14, 9; 64, 61; 64, 186; 65, 11 = 68, 23 = 68, 95, sive praemittuntur ut 64, 405, aut toto enuntiato ἀσυνδέτως adiuncto, quo ea quae antecedunt uno complexu summatim vocantur, ut 8, 8; 21, 4; 42, 22; 64, 46.

Iam finem fieri disserendi tempus est; liceat igitur paucis verbis hoc loco comprehendere et ante oculos proponere, quae in hac commentatione exposuimus.

Ac primum quidem conati sumus explicare, quid esset periodus, et iis, quae homines docti et veteres et recentiores hac de quaestione consuerunt, inter se comparatis statuimus periodum fieri connexione enuntiatorum primariorum cum secundariis.

Deinde contulimus varias periodorum formas et vidimus Catullum simpliciores praeposuisse artificioribus, non tamen omnem in periodis conformandis artem neglexisse.

Post collegimus exempla iisque demonstravimus Catullum saepissime parataxin usurpasse neque raro parataxis usu periodos evitasse.

*) Hic locus Draegerum effugisse videtur, dicit enim II, 201: „Nachklassisch sind aber diejenigen Stellen, wo in dieser Weise eine active und eine passive Form zusammentreten." Exempla huius dicendi usus genus activum et passivum eiusdem verbi coniungendi ex Senecae, Taciti, Plinii scriptis attulit, nullum ex scriptoribus priorum temporum.

Tum participiorum usum Catullianum pertractantes docuimus varia participiorum genera eodem fere modo a Catullo usurpata esse atque a ceteris scriptoribus latinis.

Ad extremum asyndeti usum apud Catullum exponere conati explicavimus eum hac quoque in re a ceterorum scriptorum latinorum consuetudine non abhorrere.

Omnibus autem commentationis partibus docuimus Catullum plerumque pristinam simplicitatem servasse secutum consuetudinem vel priscorum scriptorum vel cotidiani sermonis et praeposuisse simplicem dictionis rationem turgido et inflato illi dicendi generi, quod apud alios scriptores invenitur. „Veri sunt affectus, veri dolores, verae lamentationes; omnia sunt simplicia, nihil artificiosi, exquisiti, tumidi .... et quamvis studeat Catullus nonnullis in carminibus artificiosum, perpolitum, limatum Callimachum imitari, tamen perrumpit vincula nativumque suum aperit ardorem et impetum.“ (Cf. Paulus Weidenbach, de Catullo Callimachi imitatore, diss. inaug. Lips. 1873 pag. 32 et 42.) Et quamvis concedamus, non immerito Catullum vituperari ab Hertzbergio (quaestionum Propert. lib. II pag. 56 et de poetarum elegiacorum apud Romanos principum ingenio et arte; gymn. Halberstad. progr. 1842 pag. 5) tamen ab hoc ipso „suavitas et nativus lepor“ Catulli laudatur et summo iure dici potest „poesin elegiacam inter Romanos ante Catullum nondum floruisse, sed ab eo initium cepisse.“ (Bernhardus Linke, quantum in poesi elegiaca profecerit Tibullus comparato Catullo, progr. gymn. Luckow. 1877 pag. 1.) Cum autem „omnes artes litteraeque initio rudiores et parum perfectae sint, neque quisquam cuius operis primus auctor est in eo excellat,“ nemo erit qui exspectet Catullum omnium poetarum elegiacorum esse ab omni parte summum et praestantissimum. Etiam tempus quo ille vixit nobis considerandum est quale fuerit, quia Catullus, si quis alius, aetatis suae rationem dilucide carminibus exposuit. Hanc in aetatem incidit maxima illa litterarum conversio, qua factum est, ut poesis a rudi et rigida antiquitate ad novum meliorem statum progrederetur. Catullus autem hunc progressum magis quam quisquam alius adiuvit et quamquam multis in rebus priscae aetatis simplicitatem servavit, quamquam saepius Alexandrinorum studio nimis indulsit, tamen summo iure vocatur „praenuntius quasi efflorescentis et enitentis temporis“.

Vita.

Natus sum Aemilius Clemens a. d. XIV Kal. Jun. a. LX h. s. parvo in pago Brunsvicensi qui Ingeleben vocatur patre Christiano, quem vivere atque valere maxime gaudeo, matre Elisa e gente Gieselbergensi, quam aute hos octo annos praematura morte ereptam mihi maereo. Fidei addictus sum luthericae. Pater ipse qui tunc patrio illo in pago magistri munere fungebatur, nunc autem propter aetatem emeritus Blancoburgi Hercynici versatur, in litterarum primordia atque elementa grammaticae Latinae, Francogallicae, Graecae me introduxit, quo factum est, ut cum vere a. LXXII gymnasium adirem Blancoburgense, tertiam in classem reciperer. Sexto anno post testimonium maturitatis adeptus ad universitatem Berolinensem me contuli, ubi per quater sex menses audivi viros clarissimos Althaus, Droysen, Erdmann, Geiger, Harms, Hübner, Kiepert, Kirchhoff, Märcker, Müller, Mullach, Paulsen, Robert, Scherer, Seeck, Vahlen, Wattenbach, Zeller, quibus optime de me meritis maximam semper habebo gratiam. Vere anni LXXX Gottingam migravi litteris philologicis operam navaturus. Scholas frequentavi hominum doctissimorum Baumann, Dilthey, Goedeke, de Leutsch, Müller, Sauppe, Wilken, quibus quantum debeam nunquam dicere potero, sed memoriam eorum semper pio et grato animo habebo, atque omnibus, quos venerabundus appellavi, gratias ago quam maximas. Per duo semestria sodalis fui et seminarii regii philologorum et societatis germanicae. Gottingae studiis absolutis vere a. LXXXII Guelferbytum me contuli et in gymnasio huius urbis magistri munere functus sum anni spatium. Aestate a. LXXXIII Gottingae examen pro facultate docendi sustentavi et nunc, postquam per annum stipendia merui, iterum in gymnasio Guelferbytano magistri munere fungor.